QUAESTIONES
HORATIANAE.

I. DE BENTLEIANA TEMPORUM QUIBUS HORATIUS POËMATUM SUORUM LIBROS SCRIPSERIT CONSTITUTIONE.

II. DE UTROQUE TIGELLIO.

III. DE SATIRAE LIBRI PRIMI SECUNDAE ET TERTIAE TEMPORIBUS.

IV. DE ITINERE BRUNDISINO.

PRAEMITTITUR VITA HORATII ADHUC INEDITA E CODICE MSTO.

SUBIUNGITUR TABULA CHRONOLOGICA HORATIANA.

SCRIPSIT

Karl

C. KIRCHNER

S. THEOL. ET PHIL. DR.

SCHOLAE PROV. PORTENSIS RECTOR.

LIPSIAE.

SUMTIBUS FR. CH. W. VOGELII.

MDCCCXXXIV.

Praefatio.

Cum aliquantisper, hac scribendi occasione nobis oblata, dubii haesitassemus, utrum e copiis nostris Horatianis Eclogam aliquam vernaculis versibus redditam et justo suo commentario instructam promeremus, quod olim et Ofello (Sundiae 1817.) et Damasippo (ib. 1818.) edito fecimus, an vel ingenii et lectionis vel msstorum ope quos haud paucos ad omnia Horatii opera vel ipsi contulimus, vel amicorum opera collatos habemus, quaedam ad textus Horatiani crisin spectantia afferremus, satius denique nobis et cum angustis hujus scriptionis cancellis, tum cultorum Horatii voluntatibus convenientius visum est, quaedam ad crisin ejus historicam pertinentia et ad singula Eclogarum tempora illustranda in medium proferre. Etenim cum omnino ad interiorem scriptorum vel antiquitatis vel recentioris quoque aevi intellectum (si modo digni sunt quibus talis opera tribuatur) permagni refert, ut et rerum hominumque conditiones et tempora vel ad ipsas auctorum vitas vel ad res ab iis propositas pertinentia recte pernoscamus, tum in Horatii lectione, quem nuper Funkius noster, elegantis judicii accuratae que doctrinae vir, cum reliqui scriptores animorum suorum sensa et opiniones modo afferant, se ipsum totum lectoribus dare simulque aetatis suae imaginem luculenter expressam referre verissime judicavit, non multum nos, nisi tempora rerumque conditiones apud eum cognitas habeamus, proficere nec singula recte interpretari sine subtili historiae pervestigatione, quicunque poëtam nostrum noverit, facile concedet. Atqui etiamsi vel historicorum narrationibus, vel grammaticorum veterum commentariis plura adeo apud ipsum quam apud plerosque scriptores veteres historiae luce explicita habemus, permulta tamen in personis et temporibus Horatianis tum minus perspecta tum prorsus obscura exstant, quae ut critica face, dispersa passim temporum indicia conquirens et fugientia saepe rerum vestigia premens illustret, nec levissimum nec facillimum interpretis munus esse duxerim, imo philologiae nomine et arte, quae historiae fundamento maxime nititur, praecipue dignum. Quo in munere pertractando cum de rebus incertis plerumque et in ancipiti disputationis discrimine versantibus agatur, fieri non potest, quin saepe ab iis quae alii viri eruditi attulerunt, dissentire eaque convincere ac reprobare ei sit opus. Quod si ea qua inter doctos decet modestia ac sine ira studioque facit, nec ut hominem sed ut rem ipsam ac veritatem spectare videatur, talem opinor cum doctis ejusdem muneris sociis de rebus obscuris et in judicandi subtilitate positis concertationem nec inhonestam videri nec injucundam recte candideque sentientibus; potius et se ipsos his disceptationibus honorari et profecto non suam, sed poëtae a se culti et dilecti causam agi judicabunt. Quam ut magis magisque communibus studiis promoveamus, velim mecum Clarissimi viri, Doeringius, Eichstadius, Fea, Hauthalius, Jacobsius, Jahnius, Meineccius, Mitscherlichius, Morgensternius, Obbarius, Th. Schmidius, Weichertus, et si qui alii hoc in campo decurrere amant, quasi foedere juncti pro virili parte quisque contendant, et hanc nostram opellam id ipsum unice spectantem aequi bonique consulant.

Not. Pag. 5. lin. 4. iter Brundisinum ex vulgari opinione in annum 716. u. c. inconsulte contulimus, quem errorem ipsa Quaestio IV. redarguit. — Commentationem de Libri I. Satira quarta in hoc opere promissam alio tempore dabimus.

Vita Horatii adhuc inedita e Codice Berolinensi B. expressa.

Exhibemus hic Vitam Horatii e codice msc. bibliothecae Regiae Berolinensis a nobis exscriptam, nec umquam, quod sciam, typis mandatam publicique juris factam. Quae cujus aevi sit, non ausim decernere: certe inter reliquas Horatii Vitas, quae quidem exstant, cognitu dignissima est; nam auctorem omnino non indoctum prodit, et licet pleraque e Suetonio desumta referat, nonnulla tamen sibi propria habet, velut illud de Horatii divitiis et de familiaritate inter ipsum atque Ovidium, cujus tamen rei fides penes auctorem esto. Si a vetere aliquo Grammatico, quod propter orationis indolem nobis probabile est, originem tulit, certe ex antiquiore aliquo libro in hunc codicem translata est, quem sub finem Saec. XV. demum scriptum cum ex aliis indiciis colligimus, tum inde potissimum, quod in glossis interlinearibus et largissimis ad marginem scholiis permulta habet tum ex Acrone tum ex Landini commentariis, qui primum a. 1482. in lucem prodierunt, ad verbum expressa. Codex chartaceus in 4to, praeter alia quaedam scriptorum opera, Horatii Epistolarum Librum I. usque ad Ep. 18. v. 86. in 27 foliis scriptum continet, praemissa hac vatis nostri Vita. Scriptura maximam partem pura et emendata orthographiam antiquioris aevi (*michi*, *nichil*, *Ulixes*), et memorabiles aliquot lectiones originem ex vetusto aliquo probae notae libro msto facile produnt.

Quintus Horatius Flaccus poëta fuit lyricus et satyricus patria Venusinus, dicente Juvenale satyra prima: „*Haec ego non credam Venusina digna lucerna?*" Fuitque natus patre libertino, cujus rei testimonium hoc in epistolis eximium esse videmus: „*Me libertino natum patre et in tenui re Majores pennas nido extendisse loqueris, Ut quantum generi demas, virtutibus addas.*" Statura fuit brevi: obeso corpore et oculis lippis. Hinc ipse: „*Corporis exigui, praecanum, solibus aptum: Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.*" Et ipse: „*Nam vigilare malum crudis et ludere lippis.*" Hunc pater in tenera aetate Romam misit in ludum litterarum. Deinde cum jam litteris liberalibus eruditus esset, Athenas philosophiae causa se contulit. Et cum doctissimus evasisset, familiaritatem M. Bruti occisoris Caesaris adeptus est, factusque ab illo tribunus militum contra Marcum Anthonium et Augustum. Sed victo Bruto ex bello aufugit, ipso dicente in odis: „*Tecum Philippos et celerem fugam Sensi, relicta non bene parmula.*" Et ibidem: „*Sed me per hostem* (sic) *Mercurius celer Denso paventem sustulit aëre.*" Cui deinde Augustus Maecenatis gratia indulsit. Ideo Horatius in omnibus operibus Maecenati venerabiliter assurgit. In carminibus: „*Mecenas, atavis edite regibus, O et praesidium et dulce decus meum.*" In Epodo: „*Ibis Liburnis inter alta navium, Amice, propugnacula.*" In sermonibus: „*Qui fit, Mecenas, ut nemo, quam sibi sortem Seu ratio dederit.*" etc. In epistolis: „*Prima dicte michi, summa dicende Camena.*" Tantus enim fuit apud Mecenatem, ut simul cum eo in lectica portaretur. Habuit Virgilium inter charissimos amicos. Nam illi poëtae simul eosdem amicos et inimicos habebant. Fuit etiam amicissimus Ovidius, quem ad poëticam convertit artem, cum pater eum ad defendendas causas et rhetoricam disciplinam lucri gratia adhortaretur amplectendam. Et cum divitias optimis suis studiis cumulasset, tandem Romae moriens anno aetatis suae 57. cum Mecenate, qui ante eum moriebatur, sepultus est omni maxima pompa juxta tumulum ejusdem. Et Augustum Caesarem rerum omnium suarum heredem instituit. Carminum suorum climator fuit Tharsus (tersus?) ille poëta et Tibullus. Scripsit carminum libros quatuor; Epodon insuper et carmen seculare: de arte poëtica librum unum, Satyrarum duos, Epistolarum totidem. Et illos libros epistolarum in matura ejus aetate et consummata omni sententiarum peritia edidit. Ob id hoc opus ostendit, elimatius quo nichil inter opera sua legi potest, quid veram voluptatem et utilitatem afferat. Ex media enim philosophia et sectis omnium philosophorum Atheniensium copiose elegantissimas sententias morales in medium ad communem utilitatem affert. In jocis enim lepidissimus est, in arte vero perfecte eruditus: in reprehensione gravis: in quotidiano vero sermone tam urbanus et aptus in omnibus partibus, ut nichil addi possit vel reprehensione dignum inveniri.

I.

De Bentlejana temporum quibus Horatius poëmatum suorum libros scripserit, constitutione.

In definiendo vel ordine vel tempore quo scripta sua Horatius evulgaverit, nec grammatici veteres qui huic poëtae operam suam praestiterunt, nec recentioris aevi interpretes ad saeculum fere Bentlejanum magnopere laborarunt. Nam commentatores veteres, **Acro**, **Porphyrio**, **Scholiastes Cruquii**, licet de rebus et personis apud Horatium multa, quae aliunde hauriri nequeunt, cognitu dignissima partim ex vetustissimis probatae fidei fontibus attulerint et temporibus quoque constituendis egregie saepe succurrant, chronologiam tamen Horatianam minime curarunt; et recentiorum quoque interpretum opera usque ad **Fabri** et **Daccrii** aetatem, **Lambini**, **Cruquii**, **Xylandri**, **H. Stephani**, **Torrentii**, **Rappolti**, **Rutgersii**, si qua hac in re collocata fuit, in singulis rebus pervestigandis magis quam in toto genere desudavit. 1.

Sub Bentleji aetatem demum Francogalli aliquot commentatores, **T. Faber**, **Rodellius**, **Daccrius** aliquanto majore studio in operum Horatianorum temporibus enucleandis versati sunt, neque ad **Massonum**, Bentleji aequalem, cujus doctae diligentiae ac subtilibus disputationibus in opere illo praestantissimo: *Q. Horatii Fl. Vita etc. Lugd.* 1708. 8. pleraque in hoc genere fidelius explorata debemus, ut superbo quo illud Bentlejus despexit supercilio nihil injustius fieri possit. Mox ipse **Bentlejus**, philologorum sui temporis facile princeps, in Praefatione editionis suae 1711. ingeniosa audacia, spretis reliquorum studiis et judiciis, cum videlicet labor in singulis perquirendis ac subtili trutina examinandis infinitus ac taedii plenus videretur (quod ipse ait in Praef. „*nec tanti emerim jejunam illam obscurae diligentiae laudem.*“) generali quadam eaque brevi disputatione cum Horatianis cunctis operibus ordinem seriemque compositionis, tum singulis et Sermonum et Carminum libris certa temporis 2.

spatia, intra quae confecti fuerint, assignavit. Cujus ex Praefatione (Ed. Lips. 1764. p. IX. sqq.) locum illum super quo nostra disputatio fiet, quo omnia plenius intelligantur, praemittimus.

3. „Magno quidem studio et acerrima contentione post *Tanaquilli Fabri* operam Claris- „simi viri *Dacerius Massonus*que in hanc arenam descenderunt; quorum equidem acumen „et eruditionem in partibus laudo; in operis vero summa totoque constituendo rem eos „infeliciter admodum gessisse censeo. Horum enim rationibus, et Carminibus et Epodis „et Sermonibus Epistolisque scribendis uno ac eodem tempore vacavisse Nostrum necesse „est; et singula quaeque poëmatia separatim in vulgus edidisse: quorum utrumque a vero „alienum esse mihi pro comperto est. Quippe omnibus, qui ejusmodi poëmatia scripserunt, „id in more erat, ut non sparsas Eclogas, sed integros Libellos semel simulque in lucem „ederent. Ita Catullus fecit, ut ex Epigrammate I. constat, *Cui dono lepidum novum li-* „*bellum*: ita Tibullus, quem vide Elegia I. Libri tertii v. 7. et 17. Ita Propertius Eleg. „I. librorum II, III et IV, ut et Libri II. Eleg. X, v. 25. et XIX. v. 39. Ita Virgilius Bucо- „lica dedit, ut patet ex ultimo illo: *Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem;* Ita „Naso Amorum et Tristium et Ponticorum libros, ipso teste; ita Statius Silvas suas; Ita „Martialis Epigrammata, ut Praefationes eorum fidem faciunt; ita Persius Satiras, Phae- „drus et Avienus Fabulas; Ausonius, Prudentius, Sidonius, Venantiusque sua Carmina, „quod ex eorum Prologis abunde patet. Quid quaeris? Ipse quoque Horatius Libellos „suos junctim editos aperte indicat, primum Carminum librum ex Prologo; secundum „tertiumque ex Epilogis; Epodos ex illo XIV: *Inceptos, olim promissum carmen, Jambos* „*Ad umbilicum adducere;* Sermonum priorem librum ex versu ultimo: *I puer, atque meo* „*citus haec subscribe libello;* posteriorem ex Prologo; priorem vero Epistolarum et ex Pro- „logo et ex Epilogo. Quartum vero Carminum et Epistolarum secundum *longo* post cetera „*intervallo* emissos esse, plenissimum est Suetonii testimonium; quod qui aut refellere „aut eludere conantur, inanem operam insumunt. His jam positis; primum Horatii opus „statuo Sermonum librum primum, quem triennio perfecit intra annos aetatis XXVI, „XXVII, XXVIII; postea secundum triennio itidem, annis XXXI, XXXII, XXXIII; deinde „Epodos biennio, XXXIV et XXXV; tum Carminum librum primum triennio XXXVI, „XXXVII, XXXVIII; secundum biennio, XL, XLI; tertiumque pariter biennio, XLII, „XLIII; inde Epistolarum primum biennio, XLVI, XLVII; tum Carminum librum „quartum et Saeculare triennio XLIX, L, LI; postremo Artem poëticam et „Epistolarum librum alterum, annis incertis. Intra hos cancellos omnium poëmatiωv „natales esse ponendos, et ex argumentis singulorum et ex Annalium fide constabit."

4. Has suas rationes Bentlejus nescio quomodo viris doctis indoctisque pariter ad nostram usque aetatem fere suasit. Siquidem et olim acerrimi ejus adversarii inter ipsius populares et aequales, quorum quidem scripta ad nostras manus pervenere, Johnsonus (in *Aristarcho Anti-Bentl.* 1717.), Cuningamius (in *Animadverss. in Bentl. Notas et Emendd. ad Hor.* 1721.), Marklandus (in *Epist. critica ad Fr. Hare* 1723.) ad has temporum definitiones ne obloqui quidem ausi sunt; et recentiores plerique, in quibus Gesnerus suffragio suo (in Praef. Ed.

Baxteri) multos in hanc partem vocavit, vel apertum vel tacitum consensum prodiderunt. Quod utrum magna Bentlejani nominis inter eruditos, ut par fuit, auctoritate effectum sit, an insigni viri fiducia, qua inventum hoc suum pro certissima norma hominibus venditavit (Sic enim ille: „*Ceterum ubicumque viri doctissimi extra limites hic positos in adsignandis temporibus evagantur, toties illi in errores prolabuntur.*") an rei ipsius eximia difficultate obscuritateque et innata hominibus veri explorandi, cum in aliqua ejus specie sibi obiata acquiescere possint, inertia, equidem decernere non ausim.

Quamquam non defuere, qui Bentlejanas has rationes vel ex parte vel omnino improbarent, 5.
et novis de integro quaestionibus institutis veriora eruere conarentur. In quibus primum Sanadoni sollers ingenium haud pauca probabiliter constituit. Post eum duumviri de Lyricis Horatii meritissimi, Chr. Dav. Jani et Chr. Guil. Mitscherlich in editionibus suis singula Odarum tempora, Massoni imprimis rationibus adhibitis, historica fide, a Bentlejo multum dissentientes, accuratius explorare studuerunt. Quorum ille in Praef. Ed. 1778. p. CXIV. breve quidem sed verissimum judicium fert: „Bentlejana temporum ratio, sic simpliciter posita, et vix poterit satis firmis argumentis adstrui, neque ullam probabilitatem habet." Nuperrime Car. Vanderbourg. in editione Carminum (Paris. 1812. II. Voll. 8.) eleganti judicio et subtili eruditione usus de Carminum Horatianorum temporibus tum in genere, tum singillatim multa contra Bentleji potissimum rationes accurate disputavit. Inter nos, ut aliorum complurium singulas disputationes partim eruditas et ingeniosas taceam, Weichertus V. Cl. in hoc quaestionum genere egregie versatus, cum in pluribus doctis Commentationibus, tum in praestantissimo illo libro: *Poëtarum Latinorum etc. reliquiae. Lips.* 1830. 8. et alia apud Horatium exquisita sua doctrina illustravit et in temporibus etiam Eclogarum perquirendis Bentlejanas rationes, quibus dubiam modo fidem habet (Poët. Lat. p. 346.) plerumque deseruit et abjecit.

Sed quoniam ea quae a viris doctis contra has rationes allata sunt, fere singula magis quam 6.
summam totius quaestionis attingunt, nec quisquam adhuc, quod sciam, exstitit, qui ab omni parte eas aggredi atque convellere sit conatus, atque ea singularis in iis indoles inesse videtur, ut quidquid in singulis iis detraxeris, probabilitatis tamen in genere aliqua species remaneat, factum est, credo, ut vel hodie earum auctoritas, non apud vulgus eruditorum solum, sed apud ipsos adeo harum litterarum peritos et principes, si non prorsus, omni dubitatione exemta, in tantum tamen valeat, ut si in singulis ab ea discesserint, in genere tamen pios minusve eam suspiciant et amplexentur. Quod et Heindorfio evenisse video, qui licet singula aliter atque Bentlejus constituerit, tamen ejus rationibus summam fidem habet (cf. Heind. ad Sat. II, 1. p. 229. II, 3. p. 278. et al.) et Car. Passovium in libro bonae frugis pleno de Horatii vita et temporibus, Epistolarum translationi metricae praefixo p. LXI. not. 166. tantum iis tribuisse miror, ut cunctis de poëmatum Horatianorum ordine ac tempore quaestionibus pro fundamento substernendas esse arbitretur; licet ipsius rationes passim allatae (not. 166. 281.) non omnino cum istis conveniant.

Quamobrem nec infructuosum nec ingratum Horatii cultoribus laborem me suscipere arbitratus 7.
sum, si summi illius viri de Carminum Horatianorum temporibus disputationem sub seve-

riorem censuram vocaverim, et singulas ejus partes probe distinctas ac separatas singulis suis disputationibus ita pertractaverim, ut nihil intactum atque inexploratum remaneat; quo lectores singulis Bentleji sententiis accurate mecum cognitis atque examinatis tum de his, tum de tota ejus ratione suum sibi judicium, non temerarium sed ab omni parte spectatum atque munitum fingere possint. Postremo, quaecunque de librorum ordine ac tempore aut historica fide comprobata aut probabili conjectura definita habebamus, ea sub unum quasi conspectum vocata promere atque explicare sumus ausi. Qua in re hoc utrumque lectorem praemonitum volo: et extremis modo lineis nos hoc opus de temporibus Eclogarum descripsisse, ut probe intelligentes, integras relinqui de singulis Eclogis disputationes, quales in altera hujus Commentationis parte de singulis Satirarum temporibus exhibuimus, et in hac tamen universali temporum definitione pleraque sola conjectura effici, cujus tamen rationes non temerarias, sed diu multumque ponderatas, partim in his nostris disputationibus exposuimus, partim futuro tempore exponendas recipimus.

Disputationem nostram contra Bentleji rationes modo propositas quatuor partibus ex ordine rerum descripsimus.

8. I. **Bentlejus perperam statuit, Horatium uno eodemque tempore uni nonnisi poëmatum generi vacasse** et per singula annorum spatia nil nisi Satiras, per alia Epodos, per alia Epistolas, Carmina lyrica etc. composuisse. Id cum poëticae rationi, in Horatiano quidem genere, omnino repugnat, tum ipsa re et veritate satis confutatur. Horatius enim, suarum virium probe sibi conscius, cum gravioribus argumentis epicis tragicisque identidem se imparem profitetur (i. Odar. 6. II, 1, 37. sqq. 12, 1. sqq. III, 3, 69. sqq. IV, 2, 27. sqq. 15, 1. sqq. I. Sat. 4, 38. 10, 46. II, 1, 10. II. Epist. 1, 250-55.) scilicet non tam propter ingenii imbecillitatem, quam quod longioris morae et laboris, qualem ejusmodi argumenta postulant, impatiens, liberrimum potius otium sectabatur, assiduum plurium annorum studium nunquam uni cuidam operi dicare voluit. Quis igitur credat, eum hac mente praeditum suaeque artis ac facultatis bene sibi conscium, cum ad plura poëseos genera sese factum sentiret, in uno eodemque opere per plures continuos annos occupatum quasi pistrino quodam se ipsum inclusisse, nec promiscue, prout usus ferebat, modo Satiram, modo Epodum, modo Lyricum carmen, aut, seriore quidem tempore, Epistolam composuisse? Quod idem sensit Jani p. CXIV. Alia, fatemur, ratio est poëtarum in argumentis perpetuis occupatorum, iisque imprimis, quorum materia non de vitae quotidianae causis et eventis sumitur. Licet Virgilium, Ovidium aliosque uno eodemque tempore in una modo incude laborasse statuamus, Horatio utique liberum sui arbitrium, quod in vita quaerebat, in pangendis etiam carminibus integrum servemus. Quamquam non eo licentiae progredior, quo aut Valartus, qui nullis omnino vel temporibus vel libris distinctis Horatium ab anno aetatis XXIII. ad a. LVI. varia Eclogarum exempla promiscue ex omnibus voluminibus fundere facit, ut post ejus mortem demum divisionem in libros factam statuere videatur; aut Cruquius, qui poëtam post mortem adeo, circa a. u. c. 754. et Satiram I, 3. et Oden IV, 1. et Epistolam I, 1. scripsisse suspicatur vitamque ei ultra sexagesimum quartum aetatis annum prorogat, Ed. 1611. p. 374.

Sed Bentleji opinionem, quod maximum est, re ipsa redargui videmus. Diligentiore enim 9.
quaestione habita Horatium uno tempore Satiras, Epodos et Carmina nonnulla, deinde Carmina et Epistolas promiscue scripsisse docemur. Nec enim est dubium, quin quartus Epodus eidem anno 716. a. u. c. assignandus sit, quo iter Brundisinum et fecit et Satira libri Primi quinta descripsit. Nam indicatur a versu 17. Inde expeditio maritima, quam illo anno contra Sex. Pompejum Caesar Octavianus parabat. (v. Masson. p. 107. sqq.) Item Epodi 1. 7. et 9. ad annum pugnae Actiacae pertinent, quo etiam I. Sat. 10. et II. Sat. 6. scriptae sunt. Eo accedit, quod Canidiam poëta eodem fere tempore et in Epodis 5. 3. 17. et in Satiris I, 8. II, 8 et 1. insectatus est, quod infra pluribus demonstrabimus. Ne multa: Epodi ad unum omnes eidem fere temporis spatio, quo Satirae ortae sunt, originem suam debent. Atque etiam Carmina aliquot lyrica eadem aetas tulit. Nam carmen Lib. II. septimum ad Pompejum Varum anno u. c. 715. esse attribuendum, quo pace inter Triumviros et Sex. Pompejum Miseni composita, exsulibus cunctis, Caesaris modo interfectoribus exceptis, redeundi potestas facta est, interpretes fere omnes merito statuunt. cf. Dio XLVIII, 36. 37. Vellej. II, 77. Masson. p. 88 sqq. Sextum ejusdem libri carmen ad Septimium certe ante scriptum est quam praedium suum Sabinum habuit (v. 5. sq.) de quo in II. Sat. 6. loquitur (Vanderb. Od. T. I. p. 231 sqq.) At Epistolarum libri primi pleraeque cum Carminibus lyricis in unum idemque tempus incidunt. Nam ut de Epist. I, 2. ad Lollium taceam, quam anno a. u. c. 727. assignandam esse, quo Odar. I, 35. poëta composuit, mox videbimus; quartam ejus libri ad Albium Tibullum interpretes cum Spohnio anno 729. u. c. quo Odar. II, 4. ad Xanthiam poëta anno aetatis quadragesimo scripsit, recte attribuunt. Atque Epistolas libri I. 3. ad Julium Florum, 8. ad Celsum Albinovanum, 12. ad Iccium 18. ad Lollium anno u. c. 734. una cum Odar. II, 9. et 11. ad Valgium et Q. Hirpinum et III, 8. ad Maecenatem esse scriptas pro comperto habemus, quod infra pluribus probabimus. Etiam Epist. II, 1. et Odar. IV, 15. utraque ad Augustum autumno 744 composita est.

Hinc jam, quod Bentlejus negavit, Horatium poëmata sua promiscue scripsisse et omni tem- 10.
pore pluribus simul generibus operam dedisse satis elucet. Hoc modo, quod res ipsa docet, libenter largimur, prima scribendi aetate eum magis Satiris et Epodis, media magis Carminibus lyricis, extrema Epistolis componendis, sed Lyricis admixtis, fuisse occupatum; ita ut absolutis demum Satirarum et Epodon libris Epistolas scribere exorsus sit.

Ad hanc disputationem reponi quidem possit, quod Horatius ipse circa annum 722. u. c. in 11.
Satira I, 4. facultatem poëticam sibi si non abjudicat, at certe se adhoc ea usum fuisse negat, v. 39. „*Primum ego me illorum, dederim quibus esse poëtas, Excerpam numero: neque enim concludere versum Dixeris esse satis, neque si quis scribat, uti nos Sermoni propiora, putes hunc esse poëtam.*“ Et non multo post Sat. 10, 46. „*Hoc erat* (Satiram dicit) *experto frustra Varrone Atacino Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem, Inventore minor.*“ unde colligere quis possit, ad illud usque tempus poëtam nec Epodos nec omnino Lyrica attigisse, quod certe cum re et veritate, qualem modo cognovimus, pugnare videtur. Sed Horatius illis locis cum popularibus suis publice de Satira sua agens, non negat ille quidem se quidquam aliud praeter Satiras adhuc scripsisse; modo eatenus poëtae se nomen detrectare ait, quatenus Satiras

faciat; praeter quas se nihil adhuc in vulgus edidisse quo nomen sibi pararet, significat, cum dicit: „*hoc erat, melius quod scribere possem.*“ Sed nihil omnino obstat, quominus eum et Archilochicum genus et Lyrica jam tractasse statuamus, sed domi pressisse aut cum amicis modo communicasse quidquid in hoc genere adhuc scripsisset. Praeterea probe tenendum est, non de omni poëmatum genere, sed de Satira modo in utroque sermone agi.

12. II. **Bentlejus perperam statuit, Horatium non singulas Eclogas sed totos modo Eclogarum libros semel simulque publici juris fecisse.** Hac quidem in re subtili judicio et proba distinctione tum inter scriptores, tum inter scripta, tum inter ipsas publicandi rationes opus est. Esto, quod minime negamus, scriptores Eclogas suas variis occasionibus singillatim compositas post in libros redegisse easque in librariorum manus traditos, apud quos scriptis exemplaribus venales prostabant, evulgasse: quod quidem non Catullum modo, Virgilium, Nasonem, Statium, Martialem aliosque fecisse vel ex ipsis librorum Prooemiis aut Epilogis constat; sed Horatium quoque eundem morem secutum non reliqui quidem ejus loci a Bentlejo excitati, sed Epistola vicesima tota ad Librum suum et tertia decima ad Vinium Asellam inscripta probant. Sed ea re minime impediri judicamus, quominus singulae Eclogae, prout earum vel finis vel indoles ferebat, in publicum variis modis emissae sint. Nam et viva scriptoris voce poterant pluribus innotescere, recitationibus semel ab Asinio Pollione institutis et in usum receptis (v. Itprr. ad I. Sat. 4, 43.): et privatorum, ad quos missae erant, descriptis exemplaribus poterant publici juris fieri, et singulae ante quam in libros colligerentur, pro sua vel indole vel destinatione tum ab ipsis auctoribus tum ab eorum amicis quibuscum communicatae essent, poterant publicari. Quod licet minus usitatum quia minus necessarium in iis poëmatiis, quae ad lusum ingenii magis quam ad certum aliquem finem, tempus occasionemve composita semel simulque libris suis contenta et descripta ederentur: iis tamen opusculis contigisse, quae certum quoddam sive consilium sive tempus spectarent, consentaneum adeoque necesse fuit.

13. Quo in genere, ut alios taceam, non Virgilianas modo Eclogas fuisse scimus, quae singulae ante quam conjunctim ederentur, in hominum manus pervenerunt; non Statii modo Silvas, quas ipse singulas prius editas in Prooemiis librorum significavit; sed Horatiana etiam multa ita innotuisse oportuit, antequam in libros digesta a librariis divulgarentur. Quem enim in finem carmina praesertim ad publicas res populi Romani spectantia omnino componeret, nisi ut publici juris fierent, nec fortasse post aliquot annos, suis voluminibus inclusa, cum propriam suam vim perdidissent, sed suo ipso tempore apud vulgus innotescerent? Cujus generis haud pauca apud eum videmus, velut I. Odar. 2. *Jam satis terris.* 12. *Nunc est bibendum.* III, 2. *Angustam amice.* 3. *Justum ac tenacem.* 4. *Descende coelo.* 5. *Coelo tonantem.* 6. *Delicta majorum.* 14. *Herculis ritu.* 24. *Intactis opulentior.* IV, 4. *Qualem ministrum.* 14. *Quae cura patrum.* Item Carmen Saeculare, ad publicam populi Romani sollemnitatem celebrandam scriptum.

14. Tum de Satiris exploratum habemus, singulas ante quam in duorum librorum corpus redigerentur, simul atque ortae essent, singillatim fuisse emissas atque apud vulgus innotuisse. Nam in toto Sermone quarto Lib. I. cum poëta hoc agat, ut Satirae suae partes apud cives tues-

tur eamque a querelis et suspicionibus inde enatis defendat, re ipsa priores Satiras publici juris esse factas testatur, etiamsi in tabernis litterariis haud prostent (v. 71.). Quod clarius elucet e versu Satirae secundae 27. „*Pastillos Rufillus olet, Gargonius hircum.*“ in Satira quarta v. 92. ita repetito et defenso, ut illam Satiram jam notam inter homines ipse poëta significaverit. Quid? quod Satira decima tota est defensio Satirae quartae, ad cujus verba et sententias poëta cum popularibus suis agens ubique respexit, quod facere non poterat, si cum paucis modo amicis eam communicasset. Quid? quod Canidiam Epod. 17, 58. exprobrare sibi facit Satiram I, 8. nuper evulgatam: „*Et Esquilini Pontifex venefici, Impune ut urbem nomine impleris meo?*“ Num hoc aliter accipi potest ac de libello qui omnium manibus tereretur?

Et ipso Libellorum nomine singulas Eclogas designari videmus, Sat. I, 4, 71. „*Nulla taberna meos habeat neque pila libellos, Quis manus insudet vulgi*“ etc. Quo loco cum 15.
negat Satiras suas publice prostare in tabernis librariis, fieri tamen posse et saepius fieri, ut singuli Libelli s. Eclogae publice venales prostent, significat. Unde patet, clausulam Satirae decimae Lib. I. quoque: „*I puer atque meo citus haec subscribe libello*“ non ad totum priorem Sermonum librum, quemadmodum Bentlejus perperam interpretatur, sed ad ipsam illam Satiram referri, quod Heindorfius recte observavit. Nec minus verum est, quod re ipsa probatum vidimus, singulas Satiras, etiamsi ab Horatio ipso in librariorum manus traditae non fuerint, eum primum procusae essent, publici juris esse factas. Quare etiamsi paucula quaedam ac leviora poëmatia non in omnium manus pervenisse statuimus, antequam voluminibus suis includerentur, plurimas tamen easque insignioris et artis et argumenti Eclogas statim ab orto suo singulas fuisse emissas, ex iis quae adhue disputavimus, satis constare arbitramur.

III. Bentlejus perperam statuit, Horatium Eclogarum suarum libros 16.
sigillatim omnes, non plures conjunctim, edidisse. Quid ad hanc sententiam virum praestantissimum compulerit, non satis intelligo; siquidem opera pluribus libris descripta simul et conjunctim edere, etiamsi singuli libri prooemia et epilogos suos haberent, ab antiquorum consuetudine minime abfuit, quod vel Ciceronis, Ovidii, Virgilii exempla satis demonstrant. De scriptis Horatianis grammaticorum testimonia nil amplius nobis tradunt praeter hoc unum, quod Vitae ejus auctor, quem mss. et Scholl. vett. Suetonium esse testantur [1]), memoriae prodidit, *tribus Carminum libris ex longo intervallo quartum esse additum;* et Bentlejus fallitur, etiam de Epistolarum libro secundo hoc prodi opinatus, etsi de re ipsa constat. Reliqui Carminum et Satirarum libri separatimne an conjunctim editi sint, non id quidem ex antiquis indiciis patet, sed certis rationibus evincitur.

[1]) Jani in notis ad Q. Horatii Fl. Vitam auct. Suetonio Praef. T. I. p. LXXIV. a Mitscherlichio et Fea in Edd. suis denuo expressis unum modo Porphyrionis testimonium, quo Vita illa Suetonio tribuitur, a Dacerio jam (Ed. Hamburg. in 4. 1733. T. I. Praef. p. LXVI.) et post eum a Lessingio (Opera. in forma min. T. IV. p. 203.) laudatum attulit ex Comment. ad Epist. II, 1. „*Apparet, hunc librum hortatu Caesaris scriptum esse. Cujus rei etiam Suetonius auctor est. Nam apud eum epistola invenitur Augusti, increpantis Horatium, quod non ad se quoque plurima scribat.*“ Sed alterum exstat testimonium Scholiastae veteris apud Cruquium ad IV. Odar. 1. quod, quantum equidem scio, viros doctos adhuc fugit, etiam Vanderburgium in notis ad vitam Hor. ed. Odarum T. I. Praef. p. LVIII. adeoque Richterum, qui operosa diligentia nuper Vitam illam largis VV. DD. commentariis instructam singulari volumine edidit. Zwik-

17. Ac **Carminum** quidem triplex potest esse ratio: aut enim singuli libri, quod Bentlejus censet, sigillatim editi: aut quod Vanderburgius (Ed. Carm. T. I. p. 313 sq.) sentit, praeeunte Abbate Galiani (*Melanges de litt. p. Suard. Paris.* 1803. T. V. p. 195. sed multo ante idem statuerat et contra Bentl. probare conatus fuerat Fr. G. Barthius in libro: *Vorlesungen über einige Elegien des Properz.* Dresd. 1775. 8. p. 2. et in Praefat. ad Propertium p. LXXXIV.) libri I. et II. Odarum primum conjunctim editi, libro tertio aliquot annis post secuto: aut tres priores Odarum libri uno eodemque tempore conjunctim in vulgus emissi, quam opinionem vulgarem dicit Vanderburgius p. 313. Equidem certum ejus auctorem ante Janium non video: qui in Ed. Hor. T. I. Praef. p. CXIII, tum p. 1. et T. II. p. 309. ingenue eam profitetur, secuto Doeringio in Edit. 1803. p. 1. Antiquiores hac de re aut prorsus silent aut in singulis rationibus occupati, velut T. Faber, Dacerius, Massonus (qui v. c. od. 17. lib. II. anno u. c. 748. assignat, p. 352.) Valartus al. certum judicium sequi non videntur. Recentiores partim Bentlejo assentiuntur, ut Gesnerus in Praef. aut tergiversantur, ut Wetzelius et Mitscherlichius ad Od. I, 1.

18. Contra Bentlejanam opinionem recte jam Vanderburgius l. c. disputavit, ostendens, Carmina libri secundi 4. *Ne sit ancillae.* 6. *Septimi, Gades aditure.* 7. *O saepe mecum* illa libri primi 2. *Iam satis terris nivis.* 3. *Sic te diva potens Cypri.* 12. *Quem virum aut heroa.* 24. *Quis desiderio sit pudor aut modus:* tempore multum anteire. Nam in C. II, 4. a. u. 729. se ipse quadragenariom dicit. C. II. 6. scriptum est antequam praedium Sabinum haboit. II, 7. recte ad annum a. u. 715. refertur (cf. §. 9.). Contra Odar. I, 2. ad annum 732 pertinet, 3. ad annum 735. 12. ad annum 731. 24. ad a. 730. Hinc jam alterum Odarum librum non post priorem esse editum, sed carmina nullo temporis ordine servato, in utroque esse permixta, satis evincitur.

19. Sed quaestio de **tertio libro** movetur, quem Vanderburgius cum Barthio et Galiano non uno tempore cum duobus prioribus sed aliquanto post et scriptum et editum esse censet. Cujus opinionis etsi difficultates aliquot exstare ipse haud diffitetur, tamen his duabus rationibus permotus eam amplectitur: Primum, quod ambo priores libri unum modo prologum (I, 1. *Maecenas atavis*) unumque epilogum habeant (II, 20. *Non usitata*) tertius contra proprio suo prologo (*Odi profanum*) et epilogo (*Exegi monumentum*) gaudeat. Deinde quod in codice msc. V. glossa ad Od. II, 19. (*Bacchum in remotis:*) haec refert: *Ostendit Oratius suam Apotheosim i. deificationem s. immortalitatem famae quam sibi paravit duos libros carminum conscribendo dicens se adeo jam affinem factum diis, quod licuit sibi deos videre ...... et est totum una oda usque ad Odi profanum vulgus* etc.

---

kaviae 1833. 4. Verba illius Scholiastae haec sunt: „*Statuerat Horatius ad tertium usque librum complere opus Carminum: verum tribus libris jam editis ex maximo intervallo hunc quartum scribere compulsus est ab Augusto, ut* **refert Suetonius in vita Horatii**, *in laudem privigni sui Drusi Neronis, qui victor de Rhaetis Vindelicis fuerat reversus.*" Acron eadem minus plene, omissa Suetonii mentione, dedit. Ita sententiae, quae Suetonio Vitam illam tribuit, novum accessit adminiculum, quod eo libentius addidimus, quo cum viris clariss. Janio, Mitscherlichio, Vanderburgio et nuperrime **Eichstadio** in quinto Paradoxon Horat. Fasciculo Jenae 1834. 4. p. 6. not. 6. vel contra Lessingii rationes, vitam illam Suetonio abjudicantis prorsus consentimus: Suetonii quidem illam esse, idque etiam dicendi genere probari: sed grammaticorum et librariorum temeritate partim mutilatam, partim interpolatam ad nos pervenisse.

Sed idem ingenuus veritatis scrutator difficultatibus aliquot ex justa temporum compu- 20.
tatione ortis se implicitum videt. Nam eum primum priores duos libros a. u. c. 730. (i. e. 731. Varr. nam Vanderb. aeram Capitolinam sequitur) publici juris factos statuisset, offensus Ode 3. Lib. I. „*Ad navem Virgilii Athenas profecturi*" et Od. 9. Lib. II. ad Valgium: „*Non semper imbres*" quam utramque ad annum 733. (ex sua ratione) pertinere videns, argutiis ad illum annum (730 u. c.) retorquere noluit, tandem hunc annum 733 (734 Varr.) illi priorum librorum editioni assignavit. Sed ita quoque (etsi hanc rationem Carmen I, 3. proximo demum anno scriptum non admittit) quo minus consilium suum tertium Odarum librum ab illis semovendi et in serius tempus rejiciendi exsequeretur, magnae difficultates intercesserunt. Primam movit Odarum I, 20. „*Vile potabis.*" II, 13. „*Ille et nefasto.*" II, 17. „*Cur me querelis.*" et III, 8. „*Martiis caelebs.*" inter se comparatio. In Carmine II, 13. poëta se lapsu arboris in praedio suo paene elisum narrat: C. II, 17. hoc eventum conjungit cum plausu Maecenati sub idem tempus in theatro post recuperatam e gravi morbo sanitatem facto. C. III, 8. Calendis Martiis Maecenatem ad sacrum anniversarium a se propter vitam ex illo casu servatam ex voto instituendum invitat. Denique C. I, 20. Maecenati qui fortasse se ei convivam in praedio Sabino addixerat, ad potum vile Sabinum pollicetur a se illo ipso anno conditum quo plausus ei in theatro datus sit. Atqui cum Carmen III, 8. propter eisdis Dacorum et Cantabrorum commemorationem annum a. u. c. 733 (734 Varr.) certissime prodat, (v. Masson. p. 276 sq.) Od. II, 13. et 17. si ab illo, quod verum videtur, unius modo anni spatio distant, a. u. 732 (733 Varr.) compositas recte colligimus; qua re constituta Carmen I, 20. biennio saltem post plausum illum in theatro scriptum Libro primo Odarum annum 734 aut 35 (735. 36.) assignat. Quod quoniam cum ipsius rationibus parum congruit, Vanderburgius ita elabi difficultate studet, ut in Od. III, 8. non proximum ab illo evento annum sed aliquem seriorem significari censeat, adeoque in C. II, 17. utramque rem, arboris lapsum et plausum in theatro, temporis communione conjungi neget. In utroque fallitur vir egregius. Nam in C. III, 8. nisi primum ab illo evento, de quo C. II, 13. agit, sacrum anniversarium ex voto institueret, putidum foret pro familiari inter utrumque usu, Maecenatem vel mirantem fingere vel docere de re consueta, tam insigni potissimum die, quales erant Martiae calendae. At in C. II, 17. comparatio inter „*utriusque astrum incredibili modo consentiens*" omnem perderet vim, si diversis annis utramque rem factam statueremus. Atque in fine et de Maecenatis sacro et de suo ut futuro, necdum patrato loquitur: „*Tu — reddere victimas memento: nos humilem feriemus agnam.*" Quare de annorum ratione inter illa carmina ita intercedente, ut modo exposuimus, non est quod dubitemus, eoque librum primum Odarum tum propter hoc vicesimum carmen, tum propter tertium *ad navem Virgilii*, non a. u. c. 734. sed a. 735. sub aestatem compositum (nam Virgilius Athenis Augustum ex Oriente reducem aestate deprehendit. Heyn. Vita Virg. p. CXXII.) non ante a. u. c. 735 edi potuisse evincitur. v. Masson. p. 309 sqq.

Alteram difficultatem Vanderb. sibi oriri vidit ex eo, quod non omnes tertii libri Odas 21.
illam Libri I. et II. collectionem quam a. 733 (734 Varr.) publici juris factam esse censet,

tempore subsecutas animadvertit, sed nonnullas prioribus annis esse assignandas, in quibus Carmen sextum, ad Romanos *„Delicta majorum,"* quod plerique interpretes ad a. 726. recte retulerunt, in quo Caesar censuram agens, et templia reficiendis curam adhibuit (Dio LIII, 1. 2. Vellej. II, 89. Suet. Aug. 30 extr.) et de moribus emendandis jam tum cogitavit (v. Masson p. 190 sq.): dein C. 14. *„Herculis ritu,"* scriptum aetate a. u. c. 730. quo poëta Augusti reditum ex Hispania celebravit, (v. Masson p. 217 sq.) denique C. 19. *„Quantum distet ab Inacho"* quod ante a. 732 compositum (nos a. 730 statuimus) Muraenae auguris commemoratio arguit, eodem anno propter conspirationem cum Caepione in Augustum factam interfecti (v. Fabr. nott. ad Dion. LIV, 3.). ita tria saltem carmina tertii Libri exstitisse ante quam Liber primus et secundus in vulgus editi sint, Vanderburgius pro candore suo haud infitiatur, potius ipse sibi objicit, eamque difficultatem, etsi de sua tota ratione jam haesitabundus et argutias circumspectans, sic tamen aliquo modo diluere conatur, ut poëtam cum primam illam collectionem a. u. 733 (734 Varr.) ederet, has odas repressisse nec reliquarum corpori inserere voluisse statuat. Sed quae attulit argumenta, debiliora sunt quam quae refellere sit opus. Sextum Carmen generosi spiritus plenum summoque poëta dignum idcirco putat per decem annos suppressum, quod verendum fuerit, ne Augusto minus gratum esset, ut qui mores nondum legibus emendasset, etsi quaedam aedificasset. Imo vero non poterat nisi gratissimum esse Augusto, ejusmodi carminibus animos praeparari ad leges Julias, quarum consilium quasi hereditate a divo Julio acceptum dudum secum agitaverat (v. Lips. Exc. C. ad Tacit. Annal. III, 25. Barth. ad vitam Propertii. Praef. p. LXXXII.). Carmen quartum decimum in Augusti laudes compositum non aliam ob rem quam quod minus sublimem exitum habeat, non abolitum quidem sed modo retardatum opinatur, quasi post aliquot annos melius factum. Ohe, jam satis est! Sed minime incusabimus virum modestum, qui argumentis suis ipse diffisus hoc tertium Librum a prioribus dissociandi conamen conjectura solum niti ingenue fateatur p. 321. Scilicet id modo spectavit ut opinioni suae semel conceptae de duplici prooemio et epilogo (Od. I, 1. II, 20. III, 1. 30.) patrocinaretur. Nihil enim admodum assecutus est, cum tertium Librum biennio post a. u. 735 (736 Varr.) editum statuit.

22. Atque si reliqua tertii libri Odaria sub examen vocare vellet, non illa modo tria supra memorata, sed plura etiam ad priores annos (ante 734 a. u. c.) pertinere animadvertisset. Nam et carmen 21. ad Messalam *„O nata mecum"* quod Sanado probabiliter ad annum 722 retulit, Massonus p. 140. aliquanto serius scriptum judicat, post a. 730. nemo constituit; et Carmen 24. *„Intactis opulentior"* ante Aelii Galli expeditionem Arabicam, i. e. ante a. 730 compositum esse vel ex primis ejus verbis colligere poterat. Quid quaerimus? ne unum quidem ex omnibus tertii libri Carminibus nisi, quod consentaneum est, Prooemis et Epilogos, C. I, 1. III, 1. 30. exceperimus, annum a. u. c. 735, quo libri primi c. 3. *„Sic te diva potens"* et C. 20. *„Vile potabis"* de quibus paullo ante disputavimus, composita sunt, aetate superat. Libri secundi autem carmen nonum ad Valgium *„Non semper imbres"* propter memoratas in Parthos, Armenios et Dacos expeditiones ad hiemem anni superioris, 734 a. u. c. (v. Masson p. 306. Welchert Poët. Lat. p. 204.), carmen undecimum ad Hirpinum:

„*Quid bellicosus Cantaber et Scythes*“ ad vernum illius anni tempus sine dubio referenda (Masson p. 284.) plerasque tertii libri Odas tempore post se relinquunt.

Ex his quae adhuc disputavimus, jam sole clarius apparere arbitramur, tertium Odarum librum non post primum et alterum, sed simul cum iis una collectione eaque in tres Libros descripta ac Maecenati dicata esse publicatum, cunctaque horum trium Librorum carmina variis temporibus promiscue composita, nullo certo vel temporis vel argumentorum ordine servato in unum trium Voluminum corpus esse redacta idque circa a. u. c. 736. publici juris factum. 23.

Paucis nunc de P r o o e m i i s et Epilogis agamus, quibus tantum tribuit Vanderburgius, ut propter ea potissimum tertium Librum a reliquorum corpore separandum esse censuerit. Priores enim duos unum modo prologum „*Maecenas atavis*“ unumque epilogum „*Non usitata*“ habere, tertio proprium et prooemium esse: „*Odi profanum*,“ et epilogum: „*Exegi monumentum*.“ Ad haec primum in genere monemus, nec defectu prooemii aut epilogi librum aliquem arctissime cum altero copulari: nec singulos libros, quibus utrumque additum sit, ideo eum reliquis conjunctim edi non potuisse. Etenim vel ipsius Horatii vel aliorum et vinctae et solutae orationis scriptorum exempla non cuique ab iis vel separatim edito libello aut prologum aut epilogum proprie scriptum, aut utrumque additum affatim demonstrant. Epodon enim libro etiamsi prologi aliquam speciem in Od. 1. a d M a e c e n a t e m tribuamus, epilogum certe omnino deesse videmus. In Satiris si primam ac decimam libri primi in prologi atque epilogi loco habere placet (etsi sunt qui dubitent), certe secundus liber et prooemio et epilogo prorsus caret. Ita si quis reliquorum poëtarum opuscula perlustrare voluerit, nec Ovidii cunctos libellos nec Tibulli Propertiive propriis suis prologis et epilogis instructos videbit, nec ipsius Virgilii primam Eclogam hunc in finem minime compositam pro justo prooemio habebit. Ex altera parte antiqui etiam cum plurium librorum opera ederent, singulis voluminibus, nisi materia ipsa, velut in historiis, repugnaret, et prologum et epilogum addere solebant, nec idcirco variis temporibus ea, sed simul, publicabant, quod Ciceronem in philosophicis et rhetoricis libris fecisse inter omnes constat. 24.

Deinde ad prooemiorum et epilogorum naturam et auctoris cujusque consilium diligenter erit attendendum, ne falsa pro veris, fortuita pro meditatis habeamus. Atque justum et verum seu prologum seu epilogum eum modo judicare possumus qui in eum ipsum finem ut libro cuidam vel praefationi et dedicationi sit, vel perorationi et clausulae, conscriptus sit, Hoc in genere cujus exempla aliquot Virgilius (in Georgicis), Ovidius, Catullus, Phaedrus, Martialis, Statius, Ausonius, Apollinaris libellis suis addiderunt, apud Horatium nostrum et primam libri primi Oden „*Maecenas atavis*“ et ultimum libri tertii Carmen „*Exegi monumentum*“ et Epistolam libri primi vicesimam: „*Vertumnum Janumque*,“ sed praeter has nullam aliam Eclogam numeramus. Nam quae poëmatia alio tempore occasioneque ficta scriptor seu propter argumenti seu formae commendationem singulis suis libris aut praefixit aut subnexuit, ea pro veris proprieque dictis vel prooemiis vel epilogis haberi nequeunt. Quo in numero cum Virgilii primam et ultimam Eclogam (hanc quidem aliqua praefatione instructam) et plerosque Tibulli ac Propertii Elegos singulis libellis praefixos, tum apud 25.

nostrum poëtam et Odarum libri secundi primam et ultimam, libri tertii primam, libri quarti ultimam et Satiram Lib. I. primam et Epistolarum primam habendam esse censeo. De satira illa egimus in nostro libro: „*Des Horatius Satiren*,“ cet. p. 157. de Epistola mox: de Carminibus illis hoc loco paucis agemus. Ac primum in Carm. II, 20: „*Non usitata*“ epilogi de consilio scripti nullum certum indicium deprehendimus, velut in illo: „*Exegi monumentum*.“ Potius, sive joci et ludibrii causa cum Eichstadio V. Ill. in Comm. „Paradoxa quaedam Horatiana.“ Jenae 1831. sive serie compositum judicamus (vereor enim ut jocosa ista indoles lectoribus satis vel hodie appareat vel ipso Horatiano aevo apparuerit), certe nil nisi ingenii lusum qui poëtae de Carminum suorum editione aliquando cogitanti exciderit in eo deprehendimus, ideoque post in libri secundi fine collocatum arbitramur, quod pro clausula haud incommode adhiberi posse videretur.

26. Eadem carminum L. II, 1. et L. III, 1. ratio est. Nam poëtae cum carmina sua in tres libros redegisset, circumspicienti, quaenam in prima secundi tertiique Voluminis pagina tum compositionis dignitate tum argumenti gravitate excellentia praefigeret, primum splendidissimum illud ad Asinium Pollionem carmen se obtulit, dignum etiam propter viri claritatem, quod secundi voluminis agmen duceret. At vero cum in tertii Libri prima parte carminum summo cum splendore ac majestate publicas res tractantium haud exiguum numerum congessisset, dignum aliquid tali argumento praemittendum esse intelligens, primum illud Carmen generosi spiritus plenum: „*Odi profanum*“ composuit, non quo praefationis aut dedicationis loco esset, quale illud: „*Maecenas atavis*;“ sed quo augustam vatis majestatem cum vera rerum externarum aestimatione demonstrans eam animorum affectionem lectoribus daret, quae tanquam vestibuli splendor magnificam aliquam domum intrantibus, aptos eos redderet ad sublimes proximorum carminum sensus percipiendos.

27. Quare cum pro vero prooemio modo illam oden: „*Maecenas atavis*,“ pro vero epilogo modo ultimum tertii libri carmen: „*Exegi monumentum*“ habendum esse viderimus, rationem Vanderburgii primariam, qua ductus tertium librum serius editum statuit, sua sponte solvi et concidere animadvertimus. Illam autem quam e glossatoris nescio cujus nota supra memorata derivavit sententiae suae auctoritatem, eam vere ne flocci quidem faciendam censeo. Nam nec ipse codex est ex vetustissimis (Saeculo XIII. Vanderb. assignat) et verba illius scholii nil nisi glossatoris stuporem produnt, Oden 19. „*Bacchum in remotis*“ absurda ratione cum Od. 20: „*Non usitata*“ confundentis et utrumque carmen unum esse opinantis: et profecto eum dicit: „*Ostendit Oratius — immortalitatem famae quam sibi paravit duos libros carminum conscribendo*“ ex his ipsis verbis, si quidquam tam subiectae fidei auctori tribuere velimus, minime liquet, duos priores libros solos, excluso tertio, falsae editos.

28. Quodsi jam ex his quae disputavimus, constare videtur, Horatium tres priores Odarum libros circa a. u. c. 736. conjunctim edidisse, restat ut Satirarum quoque duos libros simul eodemque tempore editos demonstremus. Qua in re cum Weichertum V. Cl. adversarium habeamus, quippe qui utrumque librum singillatim, primum quidem a. u. 723. (Poët. Lat. reliqu. p. 278. §. 3. De Vario. II. p. 12. §. 4.) alterum a. u. c. 727. (Poët.

Lat. p. 277. coll. 298.) editum esse statuat, sed, quod dolendum est, rationibus allatis nondum evicit, longiore de singulis Eclogis disputatione opus fore video quam minime subterfugimus et in altera hujus commentationis parte ingrediemur. Hoc quidem loco quo contra Bentleji rationes potissimum disserimus, haec modo argumenta generatim adhibebimus.

Primum ergo, nullum usquam separatae utriusque libri editionis indicium apparet. Nam 29. et Commentatores veteres tacent, qui potius duos Sermonum Libros conjunctim memorant (ut Schol. Cruq. ad I. Sat. 1. aliquoties) nec ullum in scriptis Horatianis hac de re testimonium deprehenditur. Potius, quantum conjectura assequi licet, Horatium ambo conjunctim edidisse omni modo probatur. Nam cum Sermones singulos non domi premeret sed ut quemque scripsisset, in hominum manus traderet, quod modo (§. 14.) ostendimus, non erat quod eorum collectionem ita festinaret; nec jam a. u. 723. id egisse, ut mox in bibliopolarum manus perveniret, cum verisimile est, qui anno superiore etiam quantopere tabernas librarias et commune litteratorum vulgus perhorresceret, in Satira Lib. I. quarta v. 71. ingenue professus fuerat: „*Nulla taberna meos habeat neque pila libellos, Quis manus insudet volgi Hermogenisque Tigelli.*“ Nec quicquam nos cogit, ut cum Weicherto l. c. Satiram decimam a. 723. cum in finem scriptam statuamus, ut Libro primo jam in vulgus emittendo quasi pro epilogo esset. Hoc est enim, probanda pro probatis sumere. Siquidem nihil in eo Sermone inest, quod epilogum consulto factum prodat, cum potius quemvis alium inter reliquas Eclogas locum obtinere possit, modo post quartam ponatur. Nos quidem ita sentimus: poëtam, cum a. u. c. 720. consilium Satiras, quae adhoc singulae circumferebantur, in unum corpus duobus libris contentum redactas in vulgus edendi cepisset, primam quidem „*Qui fit Maecenas*“ a. 719. scriptam, quasi dedicationis loco, reliquis praeposuisse, quo Maecenati suo totum opus dicaret; decimam deinde, a. 723 exaratam, quod studiorum suorum quasi apologiam contineret (ut cum Weicherto loquar) in fine libri primi clausulae loco collocasse; at secundi voluminis Sermonibus dialogum illum quo Trebatium induxit, cum in finem recens compositum praefixisse, ut et Caesari Octaviano, nondum Augusti nomen adepto, honorifica ejus mentione facta gratificaretur, et patrocinium ejus publice professus sibi operique suo securitatem ab adversariis et obtrectatoribus pararet.

Tum haec quae disputavimus, re ipsa comprobari videmus. Nam cum tempora Sermo- 30. num utriusque libri accuratius inter se conferimus, nullum certum discrimen reperimus, sed promiscue esse scriptos deprehendimus. Ac de altera quidem secundi voluminis Satira: „*Quae virtus et quanta boni*“ quam in annum 717. a. u. c. conferimus, integram nobis disputationem reservamus. Hoc loco monuisse satis sit, tertiam libri secundi Satiram „*Sic raro scribis,*“ ex ipsis virorum doctorum et nostris rationibus mox uberius explicandis, et quartae libri primi et decimae Eclogae tempore esse praeponendam. Nam cum quarta ad hiemem a. 722 referenda sit, quod mox probabimus, decima a pluribus recte, ut videtur, ad exitum anni 723 propter Cassii Etrusci mortem v. 62. memoratam referatur, tertiam illam Lib. II. primis a. 722 mensibus assignandam esse cum ex aliis indiciis, tum ex Agrippae aedilitate superioris anni v. 185. memorata constat. Hinc jam secundum Librum non serius esse edi-

tum sed simul cum priore satis patescit. Nulla enim auctori poterat esse justa causa, cur Satiras illas, Ofellum et Damasippum, semel compositas, non primi Libri corpori insereret sed ad seriorem alterius voluminis editionem reservaret, cum praesertim utraque jam hominum manibus tereretur. Quare etsi plerosque alterius Libri Sermones serius quam primi Libri scriptos concedimus, tamen eum ad priores annos nonnulli pertineant, singulorum dispositionem tum demum, cum auctor omnes ad unum perfecisset nec ad idem opus esset reversurus, ex ipsius arbitrio sine certa lege factam statuimus, nisi hac fortasse, ut Eclogas ad dramaticam formam compositas magis in secundum Librum congereret, qua in re tamen non ita sibi constitit, ut non primo voluminl nonam dramaticae indolis *„Ibam forte via sacra,"* alteri secundam *„Quae virtus"* et sextam *„Hoc erat in votis"* hac indole minus praeditas (scio quid dicam: nam aliquid vivae actionis omnes, ut ad veteris Comoediae normam effictae, traxerunt. v. I. Sat. 4, 6. 10, 16.) insereret. Hoc ergo pro explorato habemus, etiam Satirarum duos libros non variis temporibus separatim, sed uno tempore quod in annum a. u. 726 constituimus, conjunctim esse editos.

31. De **quarto Odarum** Libro nulla dubitatio est, quem longo post tres priores libros intervallo Augusti suasu Horatium edidisse Suetonius testatur. Nec ullum quarti Libri odarion ante tres priores et scriptos et editos compositum sed ea cuncta ab anno aetatis nostri poëtae quadragesimo sexto demum esse confecta, justa singulorum pervestigatio satis docet, nec audiendi sunt vel Dacerius, vel Deprex (*Despres*) vel Mitscherlichius, qui falsa duodecimi carminis ad **Virgilium** interpretatione praecipue inducti Horatium in hoc volumine carminibus post divulgatos tres priores Libros recens factis quaedam ex antiqua penu prius neglecta admiscuisse, scilicet ut plenum efficeret librum, arbitrati sunt[2]).

Etiam **alterum Epistolarum Librum** longo post priorem intervallo et scriptum et editum binae ejus epistolae satis arguunt, licet Suetonius, contra quam Bentlejus opinatur, nihil hac de re tradiderit. De **Artis poëticae** aetate mox agemus.

32. IV. **Denique Bentlejana annorum distributio, intra quos singula Eclogarum volumina perfecta statuit, a veritate prorsus abhorret.**

Bentlejus in Praefatione loco supra exhibito Eclogarum tempora ita constituit[3]).

---

[2]) Ceterum et hoc attentione nostra dignum videtur, quod Suetonius tradidit, Augusti, non Maecenatis impulsu Horatium hoc quartum volumen reliquis addidisse. Certe in hoc libro cujus singulae fere paginae merifas Augusti laudes celebrant, et cujus ultimum odarion tanquam epilogi loco additum totum Librum ei assignat, Maecenatis praeter C. 11. nulla mentio fit. Quod jure mirari licet reputanti, Epistolarum quoque alterum volumen per primam Epistolam Augusto dedicatum de Maecenate prorsus silere, ut recte inde colligatur, in extrema vitae parte non mutuum quidem inter utrumque amorem refrixisse, (nam Horatius sacramento suo II. O. 17, 10. fidus etiam in morte patronum secutus est) sed Maecenatem animo affectum vel propter uxoris Terentiae intemperantiam (Senec. de Prov. c. 3. Dio Cass. 54, 19. Sueton. Aug. 64.) vel propter Augusti frigus (Tacit. Ann. 3, 30. Dio 54, 19. 55, 7.) corpore aegrum et perpetua febri laborantem (Plin. H. N. 7, 51.) supremis annis minus circa poëmata curiosum fuisse.

[3]) Bentlejus Horatium uno anno majorem quam vere fuit, nobis exhibuit. Nam v. c. anno ejus quadragesimo nono attribuit Carmen Saeculare, quod cum ad annum u. c. 737 pertineat, potius quadragesimo octavo ejus aetatis anno erat assignandum. Siquidem anno natali (a. u. c. 689. Coss. L. Aurelio Cotta. L. Manlio Torquato) eum anniculum facere, i. e. annum ipsum totum pro primo numerare eo minus licet,

Satirarum	Lib. I.	A. aet. 26—28.	a. u. c. 715—17.	(Btl. 714—16.)
—	Lib. II.	— — 31—33.	— — 720—22.	(Btl. 719—21.)
Epodon	Lib.	— — 34. 35.	— — 723. 24.	(Btl. 722. 23.)
Odarum	Lib. I.	— — 36—38.	— — 725—27.	(Btl. 724—26.)
—	Lib. II.	— — 40. 41.	— — 729. 30.	(Btl. 728. 29.)
—	Lib. III.	— — 42. 43.	— — 731. 32.	(Btl. 730. 31.)
Epistolarum	Lib. I.	— — 46. 47.	— — 735. 36.	(Btl. 734. 35.)
Odarum	Lib. IV.	— — 49—51.	— — 738—40.	(Btl. 737—39.)

Epist. Lib. II. et A. poët. postremo, incertis annis.

Hac in temporum ratione primum cuique hoc mirum ac singulare videri necesse est, quo 33.
Vanderburgius quoque se summopere offensum profitetur T. I. p. 313. quod Bentlejus poëtae inter singulorum Librorum tempora aliquot annos ad requiescendum concessit. Nam post Satirarum Lib. I. biennium, post Odarum Lib. I. anui spatium, post Odarum Lib. III. denuo biennium, post Epistolarum Lib. I. rursus annum liberi temporis ei tribuit, quo poëta nihil omnino egerit; atque id, quod praecipue miramur, non tarda in senecta, sed florente maxime aetate, annis 29. 30. 39. 44. 45. 48. quae cum alias operum feracissima esse soleat, Horatium nulla re impeditum tamen omnino nihil poëmatum protulisse, non facile cuiquam Bentlejus persuaserit. Quod cum jam temere et sine ulla probabili ratione statutum merito videri debet, tum singula temporum spatia singulis voluminibus attributa et angusta nimis nec cum re et veritate convenientia apparent. Quod etsi maximam partem jam ex iis quae supra disputavimus, conficitur, tamen hoc loco propriis etiam rationibus esse evincendum arbitramur. Idque ita instituemus, ut singillatim de singulis Libris disserentes quae cujusque Ecloga secundum temporis ordinem et prima et ultima fuisse videatur, cognoscamus, ut temporis spatio, intra quod unumquodque volumen exactum sit, diligentius explorato et Bentlejanas rationes convincamus et nostram sententiam, quantum fieri poterit, lectoribus probemus.

Satirarum librum primum angusto trium annorum spatio, a. u. c. 715—17. Bentle- 34.
jus inclusit. At poëta ipse II. Epist. 2, 47 sq. nos docet, se cum primum e pugna Philippensi revertisset, quod primo vere a. 713. factum est, audaci paupertate impulsum versus fecisse, certe non quos domi premeret, sed publici juris faceret [4]). Quod cum Bentlejana

quo ultimo ejus mense, VI. Id. Decembr. demum in lucem susceptus erat. Quid multa? Horatius ipse certissimus hujus rei judex, in Epist. I, 20. cum ait: „*Me quater undenos sciat implevisse Decembres, Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno*“ aetatem suam satis definite nobis constituit. M. Lollius M. F. cum Q. Aemilio M. F. (non M'. F. ut Pighius habet Annal. T. III. p. 516. v. Sigon. Fasti Consul. ad annum) Lepido consul fuit a. u. c. 733. (Capitol. 732.) cum Horatius annum aetatis ageret quadragesimum quartum.

[4]) Notissimus locus, sed parum recte adhuc, ni fallor, ab interpretibus acceptus. Verba haec sunt:

Civilisque rudem belli tulit aestus in arma
Caesaris Augusti non responsura lacertis.
Unde simul primum me dimisere Philippi,
Decisis humilem pennis inopemque paterni

ratione prorsus pugnat; qui cum poëtam Satiris scribendis primo tempore operam dedisse recte statuerit, tamen post biennium demum a reditu ad id opus se applicasse perperam opinatur. Multo rectius Massonus p. 47. 69. Satiram libri primi septimam ut primum Horatiani ingenii fetum jam anno 713 a. u. c. cum communi doctorum virorum applausu assignavit. Hinc initium primi libri statuendum, cujus ultimae Eclogae annum 717. a Bentlejo constitutum multum etiam superant. Nam licet vir magnus fortasse Scholiastarum veterum auctoritatem ad Sat. 10, 61. Cassii Etrusci nomen ad Cassium Parmensem, unum e Caesaris interfectoribus, referentium, cujus mors procul dubio in finem a. 723. incidit, omnino secus judicans despexerit, alia etiam ratio exstat in I. Sat. 8. v. 7. 14. sq. coll. cum II, 3. v. 312. In illa quidem novi Maecenatis horti in Esquiliis memorantur, loco prius sepulcris pauperum destinato, ubi magnificam Maecenas domum sibi exstruxerat (cf. Itprr. ad III. Od. 29, 6.). In hac Maecenas in aedificando etiam occupatus apparet. Quare hae duae Eclogae tempore non nimis inter se disjunctae esse possunt. Atqui cum ex aedilitate Agrippae v. 185. indicata Satiram Lib. II. tertiam non ante a. 722. scriptam esse satis constet, jam propterea Sat. I, 8. anno 721. probabiliter attribuitur. At Bentleji rationes si respicimus, Sat. 8. non post a. 717. scripta esse potuit, ut non minus quinque anni inter utramque intercesserint, quod parum verisimile videtur, praesertim Maecenatis et opes et ingenium et celeritatem aedificandi redemtorum opera illis temporibus reputanti. Hinc patet, non triennii, sed decennii potius spatium (a. u. c. 713 — 23.) prioris libri Eclogas complecti.

35. **Secundo Satirarum libro** item triennium, intra annos 720 — 22. Bentlejus assignavit. Quam ejus Eclogam primum et quo anno scripserit, non attinet hoc loco pluribus

---

Et laris et fundi paupertas impulit audax
Ut versus facerem. Sed quod non desit habentem
Quae poterunt unquam satis expurgare cicutae,
Ni melius dormire putem, quam scribere versus?

Poëta ad excusandam apud Florum desidiam suam in poëmatiis conscribendis militis Luculliani exemplum retulerat qui deperdito peculio laboriose collecto summa cum rabie hostile castellum pretiosis rebus plenum expugnavit; ita restitutis opibus eum mox ad simile facinus a praetore excitaretur, „*Ibit eo, quo vis, qui zonam perdidit, inquit.*“ Ad ejus militis similitudinem se quoque olim **audaci paupertate ad versus faciendos impulsum** fuisse: nunc cum necessaria suppetant, se parum jam inclinare ad hoc opus affirmat. Hinc plerumque verba: *paupertas impulit audax ut versus facerem* ita acceperunt, ut Horatium post reditum e proelio Philippensi pauperem factum poëmatiis scribendis victum sibi quaerere voluisse opinentur: quam in sententiam doctissimum adeo atque elegantissimum interpretem, Th. Schmidium sese dedisse video (T. II. p. 184.) qui Simonidis poëtae exemplum laudavit, Phaedr. Fab. IV, 21: „*Simonides, qui scripsit egregium melos, Quo paupertatem sustineret facilius.*“ At is quidem quomodo se ditaverit, manifesto declaratur ib. v. 4. „*Circumire coepit urbes Asiae nobiles, Mercede pacta laudes victorum canens.*“ Sed quo modo Horatium egisse, ut quaestum carminibus pangendis faceret, arbitremur, qui tantum aberat, ut **laudes victorum** caneret, (cui muneri se non natum Sat. II, 1, 12. aperte indicat. cf §. 8.) ut primo tempore adeo nil nisi poëmatia contumeliosa, Satiras et Epodos componeret, certe non facta quibus divitias sibi, potius odia et inimicitias compararet? (Nam de Sosiorum praemiis illa aetate non cogitandum fuisse, recte Passovius monet not. 104.) Quod probe sentiens Weichertus V. Cl. verba: „*paupertas impulit audax ut versus facerem*“ jocose dicta accipit, nec ut ad quaestum et lucrum sed ad gratiae apud principes viros captationem referantur. Poët. Lat. rell. p. 454. „*Horatius Romam venit circa initium a. u. c. 713., ibique non ut jocose ait Lib. II. Epist. 2. v. 49. sq., quo paupertatem toleraret suam, sed ut innotesceret et in potentium gratiam se insinuaret, versus facere coepit.*“ Quod idem Passovius sentit l. c. At quid tum illo Luculliani militis

explorare, cum in supra dictis utrumque librum non seorsim et variis temporibus editum, sed singulas amborum Eclogas promiscue scriptas et uno eodemque tempore conjunctim duobus voluminibus editas esse probaverimus. Sed quam ultimo loco scripsit, Satiram Libri secundi primam, non ante Caesaris reditum ex Aegypto et Oriente, ejusque triplicem triumphum ex Macedonia, Dalmatia et Aegypto a. d. VIII. VII. et VI. Id. Sextil. a. 725. habitum (Dio LI, 21. ib. Fabr. Virg. Aen. VIII, 714. ib. Serv. Sueton. c. 22. Sigon. Fasti Consular. ac Triumph. ad a. 724.) compositam esse, ex ejus loco v. 10. *„Aut si tantus amor scribendi te rapit, aude Caesaris invicti res dicere, multa laborum Praemia laturus“* recte colligitur. Non temere enim Octavianum Horatius ante quam Antonio devicto et exstincto rerum dominus factus erat, **Invicti** nomine ornasset, nec ejus res gestas ante quam Cleopatra de medio sublata et Aegypto in provinciae formam redacta Romani nominis ignominiam ultus erat, laudibus dignas censuisset, ut qui praeter funesta bella civilia, rebus adversus Illyrici, Dalmatiae et Pannoniae gentes aliquot gestis (Dio XLIX, 34—38.) non ita magnam adhuc famam bellicam sibi peperisset. Quae omnia Bentlejum minime respexisse videmus. Quare equidem illam Satiram in a. 726. confero, quo Caesar jam unicus rerum arbiter, censuram agens, moderatis et prudentibus consiliis rempublicam erigere conatus tum propter haec merita coli magis magisque a poëta coepit, qui adhuc aliena mente auspiciosus eum vitaverat, tum ipse Horatium, et virtute ejus poëtica et lepido ingenio per Maecenatem cognito, jam magni faciebat sibique familiarem esse cupiebat, quod ex Suetonio in

exemplo poëtam sibi voluisse statuamus? quod sic omnino claudicat; non enim miles ille gratiam, rem omnino non amissam, sed opes perditas recuperare cupiebat, et poëta ipse cum ait: *„sed quod non desit habentem,“* non potentium favorem, sed rem sibi sufficientem significat. Ut taceam illud quod jam monuimus, Carmina illa contumeliosa, quibus statim ab initio, et in Satira secunda potissimum, non misellam plebem sed ipsos potentis Triumviri amicos, Tigellium, Cupiennium, Sallustium, Maecenatem sub Malchini nomine, tecteque adeo ipsum Caesarem ab adulteriis famosum sugillavit, ad gratiam et favorem ipsi conciliandum non admodum facta videri. Ad rectum loci nostri intellectum unice, ut puto, verba illa viam muniunt nondum satis ab interpretibus respecta: *„Luculli miles collecta viatica — perdiderat: post hoc vehemens lupus, et sibi et hosti iratus pariter jejunis dentibus acer, praesidium regale loco dejecit“* etc. quibus poëta se olim e bello reversum eadem ob rem perditam rabie, quae militem illum in hostes furiosum egerit, ad versus faciendos eosque sale nigro conditos acerrimaeque libertatis in unumquemque sine discrimine plenos, ut cui jam nihil amplius perdendum nihilque idcirco metuendum fuerit, compulsum fatetur: *„Inopemque paterni et laris et fundi paupertas impulit audax Ut versus facerem.“* Quare similitudo inter ipsum ac militem non in recuperandis per poëmata opibus, quod illi per arma contigit, quaerenda est, quod vulgo faciunt, sed in pari conditione, qua ille, furore propter rem amissam in hostes concitatus, posteaquam id quod voluit adeptus est, ad nova pericula non pariter se proclivem ostendit, hic bonis sibi ereptis, audaci paupertate primum ad carmina contumeliosa se compulsum, nunc cum omnia large suppetant, non pari jam animo ad poëmatia ferri profitetur.

Ita, credo, loci nostri sententiam planius explicitam habemus, nec tot verborum poenitet, cum Wielandius plura etiam super hoc loco temere et inaniter fuderit; eo magis memorabili, quo poëtae mentem ingenuae libertatis plenam et ab omni adulatione alienissimam qua olim se ad scribendum contulisset, luculenter nobis aperit, eoque simul nos edocet, quo sensu prima ipsius opuscula legere et interpretari debeamus. Nihilo secius et hoc loco [illegible] deprehendimus. Nam cum pro faceta sua ingenuitate Floro significat, se olim rabie quadam irae ductum, cum sibi pauperi nihil jam metuendum fuisset, mera petulantia versus fecisse, nunc, cum necessaria suppetant, nullam sibi idoneam causam ad scribendum adesse, non vere et ex animi sententia, sed jlocaliter magis, credo, statuit, quod Juvenalis serio judicat (I, 79.), *solam indignationem facere versum.*

Vita Hor. discimus. Hanc nostram rationem optime congruere videmus cum iis quae eodem anno 726. ad Maecenatem II. Od. 12, 9. scripsit: „*Tuque pedestribus dices historiis proelia Caesaris, Maecenas, melius, ductaque per vias Regum colla minacium.*“ Nam et in hac Satira Caesaris res gestas carminibus celebrandi munus a Maecenate fortasse sibi delatum non sine amara quadam irrisione detrectat. v. 10. „*Aut si tantus amor scribendi te rapit, aude Caesaris invicti res dicere, multa laborum Praemia laturus. Cupidum, pater optime, vires Deficiunt*“ [5]).

36. Sed Weichertus V. Cl. in Poët. Lat. rell. p. 298. not. 22. hanc Eclogam propter versum 12. „*neque enim quivis horrentia pilis Agmina, nec fracta pereuntes cuspide Gallos, aut labentis equo describat vulnera Parthi,*“ anno proximo 727. attribuendam esse censet, quo Caesar, expeditione in Britanniam parata, sed mox omissa, in Gallias profectus est, ut turbatum hujus provinciae statum componeret. Dio LIII, 22 sqq. Nollem factum. Nam etiamsi non urgeo Augusti nomen hic non adhibitum, quod ejus anni initio Caesari publice inditum erat (v. Heyne Vita Virg. a. 727.): promiscue enim Horatius et in serioribus poëmatis modo Augusti modo Caesaris appellatione usus est: tamen cum Trebatium se hortari facit, ut res gestas Caesaris scribat, non tam ea quae Caesar acturus esset quam quae jam egisset credo intellexit; nec vero Caesar ipso illo anno tam res bellicas in Gallia gessit, quam potius publicas civitatum conditiones ordinarit, teste Dione LIII, 22 extr. Quo denique *labentis equo vulnera Parthi* referamus, cum Augusti expeditio in Parthos demum septennio post facta sit? Quidni ergo cogitemus de spoliis et picturis, Caesaris res gestas vere significantibus, quas superiore anno in ejus triumpho ferri Romani viderant? Nam et de Galliae populis aliquot, quos C. Caninas sub ipsius auspiciis devicerat, Caesarem primo die cum ipso C. Caninate triumphasse, Dio testis est L. LI, 21. et Fasti Consul. et Triumph. ap. Sigonium ad a. 724. nec omnino dubitari potest, quin eodem illo triumpho signis et picturis rem apud Parthos a. u. 724. bene gestam, cum in Asia provincia hiberna agens dissidii de regno inter fratres Phraatem ac Tiridatem arbiter factus Phraatis filium, aut quod Strabo Lib. VI. extr. refert, filios et nepotes obsides secum Romam abduxisset, gratissimum populo spectaculum, publice ostentaverit. cf. Dio L. LI, 18. Quare non est, quod cum Heindorfio ad l. c. de M. Valerii Messalae victoriis cogitemus, quas de Gallis Aquitanis, contra quos rebellantes post pugnam Actiacam a Caesare missus fuerat, circa id tempus reportavit (Appian. B. civ. IV, 38. Heyne ad Tib. I, 7, 5.).

---

[5]) Cave enim credas, Horatium, cum omnino, tum illo praesertim tempore, tam humili et abjecto animo fuisse ut seria ista dixerit: „*Multa laborum praemia laturus.*“ Non enim profecto is erat, qui vilium sui temporis poëtarum exemplo abjecta aliqua offa innatam sibi libertatem venderet et ad laudes pretio emtas sese demitteret; qui seriore etiam tempore, cum vero amoris atque reverentiae vinculo Augusto obligatus esset, se nullo ab eo beneficio devinciri passus sit atque ita semper conditionis suae libertatem animique ingenuitatem servaverit, ut vel ipse Caesar Augustus summa cum humanitate ad eum scripserit: „*Neque enim si tu superbus amicitiam nostram sprevisti, ideo nos quoque ἀνθυπερηφανοῦμεν.*“ Suet. in Vita. His ergo verbis: „*Multa laborum praemia laturus*“ notam εἰρωνεία Maecenas ceterique familiares atque ipse Caesar facile agnoscebant. Serio agit, cum multis post annis in Epistola ad Augustum v. 246. non de se, sed de amicis dudum mortuis memorat: „*Munera, quae multa cum dantis laude tulerunt Dilecti tibi Virgilius Variusque poëtae.*“

His rationibos permoti alterum Satirarum librum hoc primo Sermone addito s. 726 a. u. c. absolutum et utrumque volumen hoc ipso anno publici juris factum statuimus.

Restat ut Bentlejanam disputationem de Satira Lib. II. sexta discutiamos, qua ille in fine 37.
Praefationis commentum suum de ejus libri tempore fulcire conatus est. Sic ille:

„Illod vero in Sermone VI. Libri II. „*Quid, militibus promissa Triquetra Praedia* „*Caesar, an est Itala tellure daturus?*“ non, ut volunt, ad pugnam Actiacam annumque „Flacci XXXV. referendum erat, nec ad Philippensem annumve XXIV: quippe de agro„rum divisione hic agitur, quae post Siculam de Pompejo victoriam et Lepidi deditio„nem in Campania alibique facta est, anno Flacci XXXI. ut disertis verbis narrat Dio p. „456. 457. Plutarchos Antonio p. 941. Paterculus II, 81. et Appianus p. 1176.“

Primum observandum est, loco citato Sat. 6, 55. de praediis promissis, nondum exhibitis 38.
agi. Atqui a. u. c. 718, post Sex. Pompejom devictum, Lepidum potentia exutom Caesar, seditione militum orta, veteranis tumultuantibus et praemia olim promissa flagitantibus, pecunias statim, paullo post (οὐ πολλῷ ὕστερον. Dio.) etiam agros tum in Campania tum in aliis Italiae regionibus distribuit. Dio XLIX, 14. p. 579. R. Appianus B. civ. V, 129. (non satis explicite). Vellej. II, 81. ib. Ruhnk. Plutarch. l. c. Ergo illud actum a. u. 718. (anno aet. Hor. non 31. ex Bentl. sententia, sed 29. v. sup. not. 3.) quod minime convenit cum iis quae poëta v. 40. attolit: „*Septimus octavo propior jam fugerit annus, Ex quo Maecenas me coepit habere suorum In numero.*“ Quod si ab anno 718 septimum annum retro numeramus, delabimur in annum 711, quo vix Brutus poëtam nostrum Athenis secum militatum abduxerat, eoque non a Maecenate poterat inter familiares recipi. Hinc statim rationem illam Bentlejanam prorsus everti et concidere videmus. Quare illo loco v. 55. non de alia agrorum divisione agi potuit ac de illa post pugnam Actiacam media hieme a. u. 723 — 24 facta, cum Caesar ex Asia, ubi tum morabatur, repente Brundisium profectus esset ad seditionem veteranorum in Italia, quos sine munere dimiserat, compescendam. Dio LI, 4. p. 635. R. Hac occasione militibus suis terras earum gentium in Italia concessit, quae in Antonianis partibus fuerant. Non plus triginta dies, secundum Dionem LI, 5. aut septem et viginti modo, ut Suetonius tradit c. 17. per Januarium mensem, credo, Brundisii moratus, „donec desideria militum ordinaretur,“ in Graeciam indeque in Asiam summa cum festinatione revectus est. Quare dubium esse non potest, quin sub illud tempus, paullo ante, credo, mense Decembri (nam milites jam tum Romae spe praemiorum frustrati tumultuabantur) Satira sexta scripta sit, qua desiderium ruris (nam praedium Sabinum hoc ipso anno ineunte aut circa finem prioris a Maecenate acceperat) amabiliter expressit v. 60. „*O rus, quando ego te adspiciam, quandoque licebit*“ cet. Quam sententiam duae praeterea res confirmant: Dacorum mentio, v. 53. „*Num quid de Dacis audisti?*“ qua cum gente trans Istrum habitante primum anno 723 u. c. Romanis res fuit, cum a Caesare nihil eorum quae petiverant adepti cum Antonio se consociassent. Dio LI, 22. Hinc III. Od. 6, 13. „*Paene occupatam seditionibus delevit urbem Dacus et Aethiops, Hic classe formidatus, ille Missilibus melior sagittis.*“ Sed intestina seditione detentos non multum movisse Dio testatur l. c. Dein quod v. 38. dictum legimus: *Imprimat his, cura, Maecenas signa tabellis:*“ lucem accipit ex

iis quae Dio retulit L. LI, c. 3. Maecenatem, quem illo tempore Caesar Octavianus Romae atque Italiae praefecerat, una cum Agrippa extremo illius anni tempore ei in auxilium submisso et litteras ab illo accepisse omnes ad perlegendum et si visum esset, mutandum, et annulo quoque signatorio sphingis imaginem referente, cujus duplex ejusdem formae exemplar Caesar habebat, obsignandis ipsius nomine tabellis fuisse usum cf. Plin. H. Nat. XXXVII, 4. Hard. Haec omnia Bentlejanam opinionem prorsus elevant et Satirae Lib. II. sextae tempus post pugnam Actiacam a. u. 723. certissime vindicant.

39. Epodon libro Bentlejus biennium post Satiras profligatas, a. u. c. 723. 24. attribuit. Quod quantopere veritati repugnet, jam supra §. 9. paucis significavimus. At ipse sibi vir magnus in rationibus suis non constitit. Nam de carmine quarto in natis dubitare non videtur, quin ad Menam Pompeji libertum, quomodo vulgo inscribitur, referendum sit. Atqui is, teste Dione L. XLIX, 27. in Sisciae, Pannoniae urbis, obsidione a. 719. u. c. perierat. Quare intra spatium a Bentlejo constitutum carmen illud scriptum esse non poterat. Nec tam de ejus tempore quam de homine ipso vel dubitatum vel dubitandum esse videtur. Nam de apparatu bellico contra Sex. Pompejum agi, qui rupto foedere anno superiore Miseni facto (Dio XLVIII, 36.) a. u. c. 716. Italiae oras classe sua infestabat, e carminis extrema parte intelligimus: „*Quid attinet tot ora navium gravi Rostrata duci pondere, Contra latrones atque servilem manum, Hoc hoc tribuno militum?*" Idem de Sexto refert Epod. 9, 9. „*Minatus urbi vincla quae detraxerat Servis amicus perfidis.*" Pompejus enim ingenti mancipiorum ac fugitivorum numero copias suas maritimas et terrestres suppleverat. Dio XLVIII, 19. extr. Appian. B. civ. IV, 85. Vellej. II, 73. Florus. IV, 8. At quia Caesar ad cladem reficiendam, quam illo anno 716. classis ipsius et hostili vi et tempestatis injuria passa fuerat (Dio XLVIII, 47. Appian. B. civ. V, 81—91.) insequenti anno, Suetonio teste c. 16. viginti servorum millia ipse manumisit et ad remum dedit, Massonus Horatium ante hoc factum illa scripsisse recte conjicit, ne Caesaris copias eadem afficere injuria videretur.

40. Quod si de tempore ejus carminis constat non ultra a. 716. proferendo, de homine non item. Libri mss. quidem plerique et nostri et aliorum *Menae liberti* et *Pompeji* nomen prae se ferunt sed in singulis multum inter se discrepant. Vid. lectt. ap. Feam, qui inscriptionem *In Cneium Pompejum Cnei libertum Menam* ex ingenio finxit. Exstat tamen in mss. aliquot, uno ap. Feam, uno ap. Oberlinum, duobus ap. Vanderburg. inscriptio: „*Ad Sextum Menam libertinum Vedium Rufum ex servitute miratur usurpasse equestrem dignitatem usque ad tribunatum militum.*" in qua Vedii Rufi nomen fortasse verum esse Vanderb. judicat. Aptissimum, ut mihi quidem videtur, titulum exhibet Ed. qua usi sumus Mediolanensis 1477. e bonae notae codice sine dubio expressa: *Ad quendam tribunum inimicum poëtae*[6]). Nam Pompejum Menam, clarum belli ducem, sed a perfidia famosum, nequaquam hic tangi vel inde patet,

[6]) De titulis s. inscriptionibus Eclogarum hoc loco obiter nobis monere liceat, plus aequo adhuc eos a viris criticis, iis potissimum, quibus codicum mss. pervolutandi copia fuit, esse neglectos atque despectos. Nam etiamsi pro explorato habemus, quod mirifica quoque librorum mss. varietate in his titulis consignandis probatur, non a poëta ipso esse factos, nisi si quod nomen forte superscriptum ab eo sit, tamen vel Horatiano jam aevo vel paullo post ejusmodi inscriptiones s. lemmata a grammaticis esse facta et in codices recepta ad lectores melius edocendos haudquaquam dubitaverim. Nam in antiquissimis

quod **eum** Horatius **Tribuni militum** titulo minime designare poterat, qui et pridem classi Pompejanae et duabus insulis, Corsicae et Sardiniae, cum tribus legionibus praefectus (Appian. B. civ. V, 78.) tribunicium fastigium non leviter excessisset, et ab Octaviano non tribuni dignitate sed **Legati** ornatus esset (*ὑποστρατηγοῦντα τῷ ναυάρχῳ Καλουϊσίῳ.* Appian. l. c. 80.) qua ipsa non contentus paullo post ad Pompejum rursus transfugit. Appian. l. c. 100. Dio. XLVIII, 54. extr. Reliqua persequi supersedemus, ad doctas et acutas disputationes primum Massoni p. 107 — 124. tum Mitscherlichii et Vanderburgii in hujus carminis argumentis lectorem delegantes, neque hac in re consentire nos profitemur cum Clariss. Weicherto, qui ceteroquin laudabili studio Scholiastarum veterum auctoritatem tuendi ductus Menam illum hoc carmine notari sibi persuasit. Poët. Lat. p. 444.

Porro cum nonae Eclogae tempus „*Quando repostum*" certum et exploratum habeamus, quippe quae statim scripta sit cum primus de Actiaca victoria nuntius Romam perlatus esset, octo certe annorum spatium et hujus libri Eclogis componendis efficitur; quod tamen nos cum ultra decennium esse extendendum censeamus, singulorum carminum rationes breviter exigere statuimus.

Ac primam quidem omnium Eclogam hujus libri sextam decimam „*Altera jam teritur*" nu- 41.
meramus, quam vulgo Massono duce p. 138. cum Acrone Scholiaste ad bellum Actiacum a. 723. referunt, quod etiam Mitscherlichium fecisse miror. Non facile enim, rerum in urbe statu, ut florente, at certe composito, pacato et ordinato, omni commeatu post Sex. Pompejum eversum largiter suppetente, consilium infacetius atque absurdius excogitari potuit, quam ut bello in Antonium imminente, relictis omnibus rebus Romani novam patriam quaererent, certe gratissimum Antonio et Cleopatrae facturi: nec quicquam necessitatibus, quibus sub illud tempus cum principibus reip. viris colligabatur Horatius, minus accomodatum videri poterat, quam ut animum ita humilem et abjectum ostenderet, qui de rerum summa desperaret. Quod vulgo afferre solent, quo opinioni illi fidem faciant, sub **barbarorum** nomine v. 11. non alios nisi Cleopatrae milites, Dacos aliosque feros populos Antonio sociatos posse intelligi (ut Od. III, 6, 13. „*Paene occupatam seditionibus delevit urbem Dacus et Aethiops.*") id vero ut prorsus male ominatum vel abomi-

haud paucis codd. tituli tum longiores tum breviores leguntur, iique in quibusdam libris inter se cognati et fere consentientes, in aliis magis diversi ac discrepantes ab illis. Quare operae pretium fuerit, ad lemmata illa s. inscriptiones, cum maxime in libris mss. tum etiam in editis vetustissimis accuratius attendere. Hinc enim omnium certissime et facillime non in illis solum sed in his etiam, partim ad optimorum codd. exemplaria expressis, librorum familias tum inter se cognatas, tum ex uno quasi fonte ac capite deductas licuerit cognoscere, si quidem diligentius quam adhuc factum est, agatur. Nam praeter Janium, et ipsum parum distincta Odarum titulos exhibentem, atque Vanderburgium, solita diligentia codd. suorum inscriptiones in Var. Lectt. plerumque referentem neminem video hac in re magnopere laborasse. Cruquius modo ad Sat. I, 1. de titulis Eclogarum quaedam e codicibus suis cognitu sane dignissima attulit. E nostra Sylloge critica paucula liceat in medium proferre. Cod. **Leidensis** venerandae vetustatis, quo Bentlejus parum accurate est usus, titulos habet cum editis Venet. 1478. 1479. et Mediolan. 1486. sine dubio e codd. ductis, saepissime ad verbum congruentes; etiam denominationes illas a grammaticis inventas: **prosphonetica**, **prosenticc**, **parenetice**, **eroticc**, **hypotetice** etc. plerumque refert. Cod. **Berolinensis** A. noster, quem in Ed. Satirarum T. I. p. XCVII. descripsimus, breves plerumque titulos exhibet: *ad navem Virgilii: ad Sextium: ad Pirram: ad Agripam: ad Plancum: ad Lidiam.* E Codd. **Gottingensibus** duobus recentioris aevi sed bonae notae, primus quo Gesnerus est usus sub tit. **Gott.** in titulis ad verbum fere convenit cum Ed. Florent. 1482. et edd. hinc ductis; alter Satirarum et Epistolarum libros continens, editionis Venetae 1478. titulos omnes refert, quibuscum etiam cod. **Lipsiensis** n. 3. in nostra Sylloge (Ed. Satir. T. I. p. C.) inscriptiones

nandum potius, bello imminente, certe summam poëtae imprudentiam proderet: „*Barbarus heu! cinerea insistet victor, et urbem Eques sonante verberabit ungula; Quaeque carent ventis et solibus, ossa Quirini — Nefas videre — dissipabit insolens!*“ Poterat lugemiscere poëta calamitatibus belli civilis denuo instantibus, poterat irasci furoribus hominum nondum sedatis et in propriam perniciem ruentibus, sed illo quidem tempore non debebat de patria desperare. Ac ne incerti simus, quomodo illa tempestate Horatius animo fuerit affectus, habemus ex eodem anno unum exemplum, quo sollicitum suum de republica animum prodidit in Odar. I, 14. „*O navis referent*“ (quam infeliciasime nuper Buttmannus in Mythologo T. I. p. 343. sqq. Acrone auctore, ad Sextum Pompejum bellum piraticum renovantem retulit, non recte plaudente Passovio) alterum Epod. 9. „*Quo quo scelesti ruitis.*“ quo indignationem suam propter furores civiles denuo erumpentes acerbe quidem, sed convenienter, missis omnibus nugarum portentis, expressit. Sed hanc Eclogam 16. si quis ad bellum Actiacum referat, ei vero infelicissime poëtam rem egisse fatendum est, quod Scaliger etiam sensit. Heinsius contra circa verba modo occupatus, ad coelum eam laudibus extulit.

Atque sane, si ad justum suum tempus hanc Eclogam retulerimus, prorsus alia fiet judicatio. Hoc tempus sub initium belli Perusini fuisse statuimus a. u. c. 713, cum bello civili inter Consules pop. Romani L. Antonium et Triumvirum reip. constituendae, Caesarem Octavianum paucis mensibus post finieatum illud bellum Philippense sub ipsis urbis moenibus erumpente, rerum ipsiusque populi Rom. conditio, tum in urbe tum in tota Italia vere deploranda ac desperatissima esset. Id plenius intelliget quicunque descriptiones vere horribiles apud Appianum B. civ. V, 18—49 et Dionem XLVIII, 9—15 legere voluerit. Nam cum Roma fame laboraret impeditis per Sex. Pompejum frumentationibus maritimis, caedes et latrocinia per urbem camposque grassarentur, agri propter continua bella vel inculti jacerent, vel pulsis possessoribus,

plurimum consentiunt. Omnino eum et nostros et aliorum mss. adhibitos inter se comparamus, in omni singulorum diversitate vestigia tamen consensus ad paucitatem stirpium quarundam revocandi deprehendimus, quas supra Scholiastarum veterum tempora adeo escendere ex ipsorum iudiciis titulisque passim exhibitis verisimile fit. — Editiones Saeculi XV. omnes usque ad Pincianam lemmata sua aut ex codicibus mss. aut aliam ex alia sumsisse, non sponte fabricata attulisse mihi persuasum habeo. In quibus Mediolanensis 1477. magnae auctoritatis, proprios plerumque titulos suos habet cum cod. Berol. identidem, rarius cum Leidensi consentientes. Veneta 1478. (ed. 1479. ejusdem exempli est) in titulis fundus fuit Mediolanensi 1486. quacum a lib. II. inde Odarum fere ubique convenit. Florentina 1482. quae familiam ducit, inscriptiones suas fere cum codice Gotting. A. quem diximus communes habet, sed saepius breviatas; quod utrumne a Landino ejus auctore industria factum sit, an codicis cum illo cognati auctoritate, equidem non decreverim. Pinciana Ed. Venet. 1492. proprios suos titulos habet, eosque propter certam quandam atque aequabilem in omnibus obviam rationem ab editore sine dubio factos et inventos. Has inscriptiones non solum numerosae editiones ex illa expressae (Venet. 1494. 95. 98. Mediol. 1508. 1512. al.) recepere, sed Ascensianae quoque et plures fortasse. Ab eo inde tempore editores eclogarum titulos liberius fingere, librorum mss. auctoritate posthabita, coeperunt. Aldus quidem Manutius in Ed. I. 1501. Odarum titulis argumenta paucis descripta cum brevi metrorum significatione subjecit, quos Ed. Basil. 1527. paucissimis cum mutationibus recepit. In Aldina III. 1519. lemmata simplicissima exstant, ut in mss. Berol. plerumque: *ad P. Sextium*, *ad Pyrrham*, *ad Agrippam* etc. — Mitto jam reliqua, ac satis effectum hac nostra disputatione censeo, si posthac viri critici codicibus mss. operam navantes in his eclogarum lemmatis exscribendis paullo accuratius versari voluerint. Quod si studiose fecerint, haud leve spero momentum ad crisin Horatianam accessurum, cum hoc etiam adminiculo codicum mss. familiae, alio ad aliud vestigio ducente, aliquanto felicius distinctae fuerint.

inter veteranos dividerentur, quidquid ubique frumenti et copiarum esset, per ingentes exercitus absumeretur (Appian. c. 18.) tum vero Fulviae, Antonii Triumviri furiosae conjugis rabie novum hoc bellum civicum incensum, quo cum omnis Italia, tum ipsa urbs, sedes imperii, caedibus ac turbis impleta omnisque pacifici status species sublata est. Hos inter novos terrores, cum post tot caedes ac proscriptiones, tamque cruenta proelia nulla quies futura esse videretur ac de reip. salute vel optimus quisque desperaret, Horatium, qui belli civilis horrores modo senserat, quibus vix elapsus cum otium sibi sperasset in novas incidit turbas ac seditiones, *„decisis humilem pennis inopemque paterni et laris et fundi“* cum omnibus ignotus nihil jam haberet quod perderet, patriaeque, quam ardentissimo amore amplectebatur, ruinam prae se videntem in illud consilium, non novum quidem sed jam pridem a Sertorio conceptum (Plutarch. Vit. p. 571. E.) sedem regni alio transferendi et maritimo itinere novam patriam quaerendi incidisse, illudque juvenili ardore, acerrimoque animi impetu correptum hac Ecloga popularibus suis quam ornatissime poterat commendasse, id quidem prorsus consentaneum videtur. Qua demum ratione adhibita quae in hoc carmine adhuc legentem offenderunt, dilui atque explanari videntur. Atque cum jam Torrentius de bello Siculo in Sex. Pompejum cogitasset, Nitschium video in Praelectt. in Hor. Carm. difficultates istas vulgatae interpretationis recte intelligentem tempus post pugnam Philippensem huic Carmini constituere et Vanderburgium ejus rationes probantem novis quibusdam argumentis hanc sententiam fulcire cum nostra proxime convenientem, quam lectoribus satis jam probatam speramus.

Ex hoc genere Eclogarum ad publicas res pertinentium etiam tertia decima hujus libri Ode mihi esse videtur, *„Horrida tempestas coelum contraxit.“* atque eam hieme a. u. c. 722—723. scriptam esse censeo in eum finem, ut cum de bello in Antonium nondum quidem certo constaret, sed imminere tamen videretur, amicos quibus fortasse eo proficiscendum esset, a curis et aegrimonia propter res futuras avocaret et durante tempestate ad hilarem compotationem excitaret, tum spem praetendendo, Deum haec fortasse quae metuerent, in melius versurum: tum Chironis Centauri exemplo, Achillem ad bellum Trojanum profecturum monentis, ut in brevitate sortis sibi concessae vino cantuque se exhilararet, etiam ipsos cohortando, ut de sorte futura nihil anxii genio indulgerent et praesentibus bonis fruerentur. 12.

Duae exstant Odae in hoc libro Archilochicae acerbitatis plenae, quae nescio quid propinquitatis mihi inter sese habere videntur; sextam dico: *„Quid immerentes hospites“* et decimam: *„Mala soluta navis.“* Hanc quidem constat *in Maevium poëtam*, Virgilii obtrectatorem scriptam, cum iter maritimum ingressurus esset. Weichertus eam anno u. c. 723. assignavit Poet. Lat. p. 317. Equidem quamquam hac in re incerta non valde pertinax, in annum 720. constituo; certe non prius, quia Maevius, Servio teste ad. I. Georg. 210. *„Serite hordea campis.“* una cum Bavio hunc Virgilii versum sic sugillavit: *„Hordea qui dixit, superest ut tritica dicat.“* quod carmen cum a. 719. secundum Vossii rationes (ad. Georg III, 27.) publici juris factum esset, Maevii iter illud non prius initum statuere licet. 13.

Sexta Ecloga longam requirit de inscriptione sua disputationem, praesertim post doctissimam Weicherti Commentationem I. *„de Cassio Parmensi Poëta.“* Grimae 1832; quam hoc loco ingredi nolumus, id modo observamus, inscriptionem: *„In Cassium Severum“* in plerisque 14.

mss. et edd. vett. exhiberi: haud paucos habere: „*in Cassium maledicum poëtam,*“ quod etiam Aldus I. (1501.) prae se fert. Schol. Acro. „Cassium maledicum poëtam in se irritat, minaturque si solita rabie fuerit elatus.“ quod idem, omisso Cassii nomine, msc. op. Oberlin. exhibet. Porphyrio nihil ejusmodi affert, sed ἀλληγορικῶς hominem maledicum notari censet. Quare illud lemma: in Cassium, vel: in Cassium maledicum poëtam nomine Severi antiquius esse censeo, quod temerarius fortasse alterius ab Horatio saeculi grammaticus aut librarius aliquis addidit, unde in alios mss. permanavit. Unus Cruquii Scholiastes Cassii Severi, nobilissimi illius oratoris, de cujus dicacitate fando audiverat, nomine arrepto, absurda quaedam eaque ex hoc ipso carmine petita in eum effutit: „*Invehitur in Cassium Severum qui dicacissimus erat et amarulentia verborum optimos quosque insectabatur, sed facile placabatur ingluvie ventris, adeo ut si quis ei ventrem repleret, ab ejus cessabat* (leg. *cessaret*) *conviciis.*“ Quae quomodo constare possint cum iis quae de Cassii Severi ingenio et moribus probatissimi nobis scriptores tradiderunt, (Seneca Controv. Excerpt. L. III. Exord. Quintil. VI, 1, 43. X, 1, 116. et alibi. Plin. H. N. VII, 12. Dial. de Orat. c. 19. Tacit. Annal. I, 72. IV, 21.) equidem non video. Nam hominem ingenti eloquentiae vi ac splendore omnibus aevi sui oratoribus superiorem, quem auctor Dialogi de Oratoribus c. 19. totam eloquentiae Romanae formam ad aevi illius indolem immutasse censet, sed eundem tanta ingenii malignitate, tam acerba linguae dicacitate praeditum, ut ne primoribus quidem civitatis vel dicteriis suis vel accusationibus parceret, ideoque cum a. 761. ex S. Cto in Cretam insulam relegatus esset (Tac. Ann. I, 72. IV, 21.) nihilo secius in fatali animi rabie ita sibi constantem, ut Tiberio imperante a. 777. denuo Senatus judicio damnatus, bonis exutus, interdicto igni atque aqua, in Seriphio saxo vere tragico fato tandem exspiraverit; eum inquam hominem, licet ingenii perversi, tamen suo in genere prorsus eximium et in obstinata contra omnes malitia ad supremos usque poenarum gradus perseverantem, eum hic significari sub hominis specie imbelles modo, timidi canis instar, invadentis, contra animosos et paratos turpiter ignavi, (v. 1. 2.) hominis ita humilis et abjecti, ut cum inanes minas fuderit, esca aliqua objecta placari possit, (v. 9. 10.) id quidem nemo umquam mihi persuaserit. Idem sentire post Gesneri cautam dubitationem et Nitschium et Vanderburgium elegantis judicii virum, gaudeo. Praeterea historiam si respicimus, Cassium Severum eo tempore quo hoc Carmen scriptum esse arbitramur, puerum aut vix adulescentulum fuisse, magna cum veritatis specie possumus affirmare. Nam Hieronymo auctore in Eusebii Chronic. (Ed. Aug. Maji Romae 1833. p. 374.) ad a. imp. Tiberii vicesimum „*Cassius Severus orator egregius — XXV. exilii sui anno in summa inopia moritur, vix panno verenda contectus.*“ quod igitur factum est a. u. 786. Consenuisse in exilio ait Tacitus IV, 21. Quodsi in tali miseria annum aetatis 76. attigit, quod magnum est, certe a. 720. quo fere hanc Eclogam compositam statuimus, decem annorum primum puer fuit. Nec vero si quis eum praeter omnem veri speciem vicenarium circa illud tempus facere velit, cives suos jam tum maledictis proscindentem, credibile fit, per totos quadraginta annos impune haec convicia in homines jactasse, donec tandem a. 761. (Tac. Ann. 1, 72.) a Senatu, Augusti rogatu, in exsilium actus sit. Ut taceam poëtae nomen huic Cassio Severo a Scholiaste perperam tributum, quem oratorem modo antiquitas noverit.

Quare etsi magni facio hisce in rebus Weicherti v. Cl. et accuratam doctrinam et subtile judicium, tamen ejus sententiae l. c. p. 19. qua Cassio Severo oratori hic locum esse arbitratur, ob rationes modo allatas accedere non possum. Quippe Horatium ipsum atro dente a Cassio petitum esse censet p. 20. ideoque poëtam vel obtrectationibus vel conviciis provocatum in istum invehi. Sed mihi videtur non ipse ab homine maligno tactus, amico potius timidiori et minus ad occursandum expedito patrocinari (*Quid immerentes hospites vexas, canis?*) et in se ipsum, nempe remorsurum, ejus furorem evocare (*Quin huc inanes — vertis minas, Et me remorsurum petis?*). Et nescio qui fit ut sub hospitis immerentis persona non alium mihi quam Virgilium, poëtae nostro familiarissimum, fingere possim; de cujus miti atque minime rixoso ingenio cum non minus atque de animi candore constet (Donati Vit. c. XVII. Sat. I, 5, 41.), obtrectatorem puto aliquem, hominem nihili et malignum, velut Bavium, Maevium, Cornificium (Donat. l. c.) vel etiam Cassium nescio quem, Virgilium (si hariolari licet) quod factum accepimus, dicteriis propter ejus versiculos aliquot attentasse, eique Horatium obviam ire seque adversarium pro amico offerre. Quid mirum, si his ita positis in olentem Maevium, cui in C. 10. peregre profecturo mala omnia imprecatur, auspicio nostra inciderit? Sed quam incertum hoc est, tam certum atque exploratum habemus, non Cassium Severum, nobilem insequentis aevi oratorem, Horatiano telo hic figi.

In primis acerbioris juventae impuriorisque Musae fetibus duo Carmina numeramus, duo- 46.
decimum „*Quid tibi vis*“ et octavum hujus libri: „*Rogare longo*.“ In utroque fastidiis sua matronae (non puellae cf. 8, 13.) Romanae, nobili prosapia, diviti adeoque litteratae (8, 11—16.) amores ipsius per tabellas expetenti, (12, 2.) sed eidem vetulae, deformi ac prae senio effetae ac marcidae, acerrimis iisque obscoenis conviciis significat. Schol. Cruq. absurde de Canidia cogitat: ad O. 12. init. „*Invehitur in Canidiam*.“ Et Acr. ad 12, 14. „*Verba Canidiae*.“ Duodecimam Eclogam octava tempore subsequitur, quod patet ex illius loco v. 12. sqq. cum initio octavae comparato. Juvenem nondum firmum se ipse dicit O. 12, 3. Quare hanc duodecimam Eclogam anno aetatis vicesimo quinto, a. u. c. 714. octavam insequenti anno assignare haud dubitavimus. Hinc etiam Carminis undecimi „*Petti, nihil me*“ temporis constitutio pendet. Nam Carminis duodecimi tempore Inachiam poëta perdite amabat. O. 12, 14. 15. Ad Pettium postea scribit: „*Hic tertius December, ex quo destiti Inachia furere*.“ quo se biennio ante hunc amorem posuisse significat. Quare illud carmen si ad 25. aetatis annum, hoc ad vicesimum octavum, u. c. 717. pertinet.

Canidiae nomen infaustam celebritatem accepit pluribus in eam Eclogis (Epod. 5. *At o* 47.
Deorum. 17. *Jam jam efficaci*. Sat. I, 8. *Olim truncus*.) amari fellis plenissimis intra paucorum annorum spatium scriptis et inhonorifica ejus aliquoties tum sub idem tempus, Epod. 3, 8. tum paulo post Sat. II, 8, 95. et Sat. II, 1, 48. mentione facta. Sub Canidiae nomine Gratidiam quandam unguentariam Neapolitanam delitescere, Scholl. vett. certatim observarunt. Sch. Cruq. ad Epod. 4. init: „*Hanc epodon scripsit Horatius in exsecrationem Gratidiae veneficae, mutato nomine pro Gratidia Canidiam ponens; decreto namque cautum fuit, ut nemo publice nominatim alicujus vitia carperet.*“ Porph. ad v. 43. „*Videtur significare scelus hoc Neapoli factum,*

nam ut supra diximus, Gratidia haec Neapolitana fuit." Idem et Sch. Acr. ad I. Sat. 8, 24. „*Canidiam pro Gratidia Neapolitana unguentaria, quam semper carpit ut veneficam, maxime in 5. et 17. Epodo.*" et ad II. Sat. 1, 48. „*Canidia autem posita est pro Gratidia.*" Hoc ipso loco uterque Schol. ex falsa interpretatione versiculi: „*Canidia Albuti, quibus est inimica, venenum*" (sc. *minitatur.*) eam Albutii filiam facit. „*Albuti. supp. filia, ut Virg. Deiphobe Glauci. Alii uxorem dicunt.*" Quod imprudenter arripiens Cl. Fes. Not. ib. Canidiam Albutii uxorem fingit perperamque vituperat Baxterum et Oberl. recte interpretantes, Canidiam ministrari venenum Albutii, i. e. venenum quo, Canidia ministrante ut venefica, Albutius uxorem interemerit, juxta veterem Scholiastem. Recte sic etiam Heindorfius intellexit, qui citavit Schol. (Porphyr.) „*Hic enim Albutius veneno uxorem suam dicitur peremisse.*" Quo addimus Schol. Porph. ad II. Sat. 2, 67. „*Hic est Albutius, qui — ob cupiditatem nimiam habendi alienam uxorem, suam veneno necavit.*" Quod etiamsi ad hunc Sat. secundae Albutium parum recte relatum videtur (v. nos ad Ofellum ib.) tamen de illo in Sat. II, 1. pleniori documento est. Miror sane doctissimum Feam, qua ratione feminam abjectae originis (Epod. 17, 46.) unguentariam adeo et corpore quaestum facientem (17, 20.) civis Romani (fortasse nobilis; nam Albutii plures memorantur. v. Bayle Lex. s. v. et Ern. Clav.) uxorem facere potuerit.

48. Hanc ergo Canidiam s. Gratidiam Horatius in Eclogis supra dictis acerbissimis contumeliis et conviciis horribili modo proscidit. Etenim magicas artes et veneficia dum ei ut p h a r m a c e u t r i a e (nam unguentariam fuisse, etiam ex Ep. 5, 59. 17, 23. patefit) ubique exprobrat, etiam paternas sordes (17, 46.) impudicitiam (40.) et meretricium quaestum ex sordida plebe (20.), ventris sterilitatem et simulatos partus (17, 50. 5, 5.) pectoris saevitiam et inquinatas scelere manus (17, 43.) objicit ejusque philtra et incantationes, quibus amatorem infidum ad se retrahere studeat, exagitat (5, 75.). Quamnam poëta causam tantae in eam saevitiae habuerit, non satis liquet. Gravem certe injuriam ab ea passum fuisse necesse est. Libertinae conditionis fuisse et Horatii amoribus per aliquod tempus deditam, sed atroci perfidia aut aliqua contumelia eum tam graviter exasperasse ut Hipponacteo hoc stilo eam insequeretur consentaneum est, praesertim si cum Scholiastis vett. Od. I, 16. „*O matre pulchra*" palinodiam continere huic Gratidiae scriptam quo in ipsius gratiam rediret, (v. 27. „*dum mihi fias recantatis amica opprobriis, animumque reddas.*") statuimus. Quod Heindorfio etiam ad I. Sat. 8. placere video. Siquidem injuriae in eam congestae ita serio accipi non debent, ut eum *anum* eam appellat, Epod. 17, 47. vere vetulam cogitemus (nam idem Lydiae objecit, I. Od. 25. quacum tamen post in gratiam rediit, III. Od. 9.); sed etiamsi non in primo juventae flore, tamen pulchram adhuc et vegetae aetatis.

49. Sed utcunque haec se habent, carmina Canidiam diffamantia aliquot annorum spatium complexa esse videntur. Ac primum eorum fuisse censeo E p o d u m q u i n t u m, quo rem non Romae sed Neapoli, (v. Schol. ad v. 43. supra allatum) non sibi, sed Varo cuidam, (v. 73.) non illo ipso tempore, sed pridem cum Neapoli Gratidia etiam degeret, gestam, dramatica quadam arte ita expolivit, ut omnia quasi ante oculos posita geri videantur. Quae Schol. Cruq. bene sic exposuit: „*Haec autem Gratidia Varum quendam adamavit; quem*

cum in amorem sui flectere nequisset, furtim raptum puerum quendam patricium, humique mento tenus defossum necavit, ut ex ejus cadavere, arte necromantica, sua maleficia impleret." Cui facinori etiam mulieres impuras et veneficas, Saganam (quam etiam Romam deduxit. I. Sat. 8, 25.) Vejam, Foliam adhibuit. Quare cum Satirae Lib. I. octavae tempus, quod supra (§. 34.) vidimus, satis probabiliter in annum a. u. c. 721. constitutum habeamus, huic quinto Epodo annum superiorem, 720. recte assignare videmur.

In Satira octava Canidiam induxit Romae in Esquiliis in novis Maecenatis hortis, 50.
ubi pridem pauperum cadavera humari consueverant, νεκρομαντείαν Saganae ope instituentem, quam Priapus ridiculo modo turbaverit. Tum aliquanto post ironicam scripsit deprecationem ad Canidiam, Epodum 17. quo per jocum se ejus incantationibus correptum mirifice torqueri et tabefieri fingit atque ut iis exsolvat eam obtestatur. Haec contra Canidiam inducit abnuentem acrioresque adeo poenas minitantem; quo in toto carmine acerbissimo cum joco Canidiae insultat, dum de probris suis, maleficiis magicisque artibus ipsam ut de re nota loquentem facit. Mitscherlichius V. Cl. hujus Eclogae rationem non bene perspexit, cum propter locum Epod. 5, 73. sqq. totam hanc deprecationem non Horatio sed Varo illi tribuit: non recordatus, illius carminis scenam Neapoli fuisse remque ipsam jam deploratam; hanc Romae recens actam. Atque neminem nisi Horatium ipsum intelligi, qui „*Esquilini Pontifex venefici, Urbem* ejus *nomine impleverit*" v. 58. cuncta clamant, vel si v. 39—41. vel 76—79. respexeris. Hanc enim Eclogam et post Epod. 5. et post Sat. 8. scriptam esse, inde manifesto apparet, quod probra in utraque Canidiae objecta hic respiciuntur, nam v. 49.56.57. 80. ad illum Epodum, v. 47. 48. 58. 59. 76 — 79. ad hanc Satiram spectant. Quare non satis mirari possum, cur Vanderburgius in Prolegg. ad Epod. 17. quintum Epodum ex his tribus Eclogis ultimum fuisse voluerit.

Divulgata fuisse haec in Canidiam carmina probrosa oportuit, cum ut de re nota lo- 51.
quens, Epod. 3, 8. dixit: „*An malas Canidia tractavit dapes?*" Sat. II, 8, 94. „*Velut illis Canidia afflasset pejor serpentibus Afris.*" Sat. II, 1, 48. „*Canidia, Albuti, quibus est inimica, venenum*" (*minitatur*). Hoc quidem ioco a. 726. postremum eam vellicavit, ut hoc Gratidiae odium et insectationem per sex septemve annos durasse probabile sit, post poëtam poenitentia correptum, eodem hoc anno 726. suavissimam illam palinodiam I. Od. 16. non „*mendaci lyra*" (Ep. 17, 39.) sed serio cecinisse, si quidem inscriptionibus illius Eclogae in plerisque mss. et Scholiastarum testimonio fidem habemus: Schol. Cruq. „*Cantat palinodiam, id est, cantando revocat quae scripserat iratus in amicam Gratidiam.*" Nec est quod eam denegemus, cum „*criminosos jambos*" v. 2. non ad alia facile carmina quam ad Epod. 5. et 17. referre possimus. Nec, licet „*dulcem juventam*" v. 23. excuset, hanc Oden ultra sextum annum ab illo Ep. 5. removere possumus, quoniam quae et in illo v. 98. et in Ep. 17. v. 47. per contumeliam anus dicitur, in hac propter pulchritudinem celebratur.

Cognationis aliquid, etiam tempus si spectemus, Od. 3. „*Parentis olim*" et 14. „*Mol-* 52.
lis inertia" utraque ad Maecenatem scripta inter se habere videntur, tum propter familiarem adeoque jocularem cum Maecenate de rebus levidensibus atque amatoriis confabulationem; tum

quod in utraque Maecenas etiam uxore carens apparet. Nam in Ep. 3. puella eum eo in convivio discumbens non facile convenit marito; in Ep. 14. locum: „*Ureris ipse miser: quod si non pulchrior ignis Accendit obsessam Ilion, Gaude sorte tua:*“ Schol. Cruq. recte, ut videtur, ad amorem Terentiae, pulcherrimae Maecenatis sponsae, retulit, quam ille, cum circa id tempus etiam aedificaret (v. sup. §. 34.) insequenti anno, alta domo in Esquiliis perfecta (Epod. 9, 3.) in matrimonium duxisse videtur; quam rationem etiam cum reliqua Maecenatis vita ejusque eventibus egregie congruere, facili negotio poterit evinci. Hic quidem manifesto virgo et nobilitate et pulchritudine excellens, quae cum Helena compararetur (cf. Dio LIV, 19.) libertinae trivialis conditionis opponitur: „*me libertina, neque uno contenta, Phryne macerat.*“ Quod si rationes nostras de Canidia recte, ut credo, subduximus, illud carmen Ep. 3. „*Parentis olim*“ non ante annum 721. scriptum esse potuit: nec quicquam obstat, quo minus alterum, Ep. 14. eodem anno subsecutum esse censeamus. Cui rationi et illud favet, quod dixit v. 6. sq. „*Deus, deus nam me vetat Inceptos, olim promissum carmen, iambos Ad umbilicum adducere.*“ Sub his cum non solum iambos de Canidia, quod quibusdam placuit, sed omnino justum Epodon volumen intelligi vel umbilici mentio declaret (v. Passov. ed. Epist. in Hor. Vita not. 185.) Horatium hoc Maecenatis monitu commotum insequenti anno Epodum 17. et plures deinceps, ut promissum volumen compleret, scripsisse videmus; adeoque Satiram II, 3. „*Sic raro scribis*“ hujus admonitionis fetum fuisse suspicari licet.

53. Omnino circa illud fervidioris juventae tempus bonum Horatium amoribus omnis generis, puellarum, puerorum, anuumque adeo et sagarum, tum gratis sibi et expetitis, tum odiosis ac molestis ita cinctum, implicitum, irretitum atque distractum et sui fere non compotem videmus (Epod. 11, 3. 4.), ut recte sibi, non ficte, sub id tempus in Sat. II, 3, 325. „*mille puellarum, puerorum mille furores*“ attribuere videatur. Talem animi affectionem Epodos 15: „*Nox erat et coelo*“ prodit, quo in Odario suo in genere perfectissimo, amoris desiderium et zelotypiae furor egregie expressus juvenilem animi aestum prorsus ut in illo ad Pettium undecimo manifestat. Quodsi eandem quam in hoc carmine Neaeram in illo: „*Herculis ritu*“ III. Od. 14. quod a. u. c. 730. composuit, significari statuimus: „*dic et argutae, properet, Neaerae, Murreum nodo cohibere crinem: si per invisum mora janitorem Fiet, abito. Lenit albescens animos capillus.*“ affectus in hac Ode multo sedatior et tranquillior illam minimum decennio prius scriptam arguit. Atque ipsius indoles propinquam illi: „*Mollis inertia*“ a. 721. facit*).

*) Quod ad Horatii amores attinet, longissime meam sententiam ab eorum temeritate abesse profiteor, qui carmina ejus amatoria nil nisi meros ingenii lusus maximam partem e Graecorum imitatione expressos, poëmatia otii terendi causa facta, nulla omnino re ac veritate subjecta, judicent, quique puellarum ac puerorum celebrata nomina, Lydiae, Glycerae, Lalages, Inachiae, Ligurini, nil nisi poëtica figmenta habeant, quibus Horatius ad ludicra sua commenta exornanda usus sit. Horum agmen ducere Buttmannum video, qui in commentatione libro qui *Mythologus* inscribitur, inserta T. I. p. 297. sqq. hanc opinionem summa cum fiducia tanquam praeclarum aliquod prudentiae suae inventum lectoribus propinare haud dubitavit. Hoc modo egregium virum fefellit, quod sic omni veritate carminibus illis verissimi affectus plenis subtracta, nil nobis nisi *σκιαμαχίαν* quandam amatoriam reliquit, et poëtam nobis non animi vitaeque suae verum interpretem sed vanum somniorum poëticorum captatorem constituit, a vero poëta

Ultimo inter Epodos loco Carmen alterum de **Alfio feneratore:** „*Beatus ille*“ nume- 54.
ramus. Quod cum natura sua a reliquis diversum apparet, tum plurimum salem suum, etsi post gratissimam rusticae vitae descriptionem subita illa mentis Alfianae immutatio in clausula permultum jucunditatis habet, inde tamen accipit, si suavissimam illud et vere amabilem irrisionem Virgiliani loci in Georg. II, 458. sqq. de beata agricolarum sorte continere statuamus, quod jam olim in nostra **Satirarum** editione T. I. p. 200. significavimus. Nam etiamsi non singula verba et versus inter se conveniunt, argumentum tamen et poëticus color in utroque loco idem; modo quae Virgilius summa cum animi incitatione ut praeclara et optabilia ad coelum extulit, ea Horatius non minus praedicans leni cavillatione ad ridiculum deflexit. Quod poëtae nostri festivum consmen, cum illo tempore alterum Georgicorum volumen absolutum omnium studia in se converteret, in politissimorum hominum circulo apud Maecenatem congregato, cujus insignia decora hi ipsi poëtae intima familiaritate inter se conjuncti, Virgilius, Horatius, Varius erant, non poterat nisi summo cum plausu excipi, Virgilio pro animi sui candore et modestia (Donati Vita 17, 65. 68.) libenter hunc innocentissimum jocum passo. Ita duplex festivitas huic Eclogae accessit. Quam ut ultimam in Epodon serie anno u. c. 724. assignamus, quo Georgicon alterum volumen publici juris factum J. H. Vossius ad Georg. III, 27. (T. IV. p. 529.) e Lib. II, 170. 497. probabiliter demonstravit.

Ergo a. 724. u. c. hanc Epodon Syllogen confectam esse videmus. Quam quo anno Horatius 55.
in vulgus ediderit, nec magni refert ut sciamus, nec ad liquidum facile poterit perduci. Id quidem nobis persuasum est, etsi Suetonius ejus in Vita mentionem nullam fecerit (ut qui scripta Horatii percensere noluerit) Horatium tamen ipsum eam publici juris fecisse, nec

---

non secus distantem atque a vero et magno oratore forensi declamatorem aliquem de ludo fictitias et umbratiles nugas inaniter fundentem differre videmus. Nec sane intelligitur, cur non eodem jure quo amores apud Horatium, cuncta alia quae attulit, incerta facere possimus, ut eum poëtam, quo nullum in antiquitate vitam ac veritatem acrius et illustrius depingere videmus, nil nisi inania vel nominum vel rerum commenta intulisse statuamus. Omnino haec abominanda scriptores antiquitatis interpretandi et opinionum commentis obruendi ratio si latius serpserit et apud plures invaluerit, periculum est, ne omnis nobis ex antiquis poëtis vita ac veritas eripiatur.

Atque sane rem ipsam spectantes primum non videmus, cur ipsi Horatio de amoribus suis loquenti fidem habere nolimus; cur non Horatium ex aevi illius solita morum libertate, qua Romanis viris et juvenibus cum libertinis quae magno numero aderant, vel sine omni famae detrimento liberius versari licebat, puellas illas omnes quas carminibus celebravit, adeoque pueros aliquot vere amasse, atque ex ingenii sui mobilitate et inconstantia (Epod. 11.) tum plures simul amores, tum alios ex aliis, fide non diu servata, nutrivisse credamus, adeoque ad extremam usque aetatem in hac militia, in qua ipse se excelluisse profitetur (III. Od. 26.) quasi vitam poëticam suae elemento quodam sibi placuisse statuamus, etiamsi eam interdum se ejurare simulet, quod tamen non ita serio accipiendum esse, plura carmina (III, 26. IV, 1.) satis demonstrant. Deinde non videmus, aut cur alium poëta ac moribus deteriorem in carminibus quam in ipsa vita se dare voluerit (Epod. 8. 11. 12. Odar. IV, 1. 11. Sat. II, 3, 325.) cur tot puellarum, adeoque ex nostra quidem sentiendi ratione parum honestos puerorum furores sibi attribuat, quos nunquam habuerit, aut quid nos denique lucremur, si non veritatem sed mera poëtica somnia nos legere fingamus. Certe nostra quidem et majorum aetate non defuere, qui ejusmodi fictitiis amoribus vel Chloës vel Phyllidis vel Lalages et similium decantandis et se et vulgus lectorum oblectare conarentur, scilicet quo aliquid ad imitationem antiquorum amatorii argumenti proferrent: sed ejusmodi vanas umbras vita omni et affectu carentes si quis pro vera poësi accipiendas aut cum Horatianis odariis verissimi et vividissimi affectus plenis comparandas censeat, is certe quid distent aera lupinis nunquam viderit. Ergone cum

post ejus obitum demum Epodos ut opus posthumum, quod Vanderburgius opinatur, (Ed. Carm. T. II. p. 519. sqq.) lucem adspexisse; quae opinio loco Epist. I, 19, 23. abunde refutatur, cum dicit: „*Parios ego primus iambos Ostendi Latio, numeros animosque secutus Archilochi, non res et agentia verba Lycamben.*“ Weichertus V. Cl. qui in Comm. de Cassio Parmensi p. 20. nullum horum Carminum post annum 723. a. u. c. scriptum esse judicat, in Poët. Lat. reil. p. 454. not. 42. anno 729. demum conjunctim editas pronunciat. Et nos poëtam contumeliosi hujus libri editionem non nimis festinasse censemus, ut fortasse decennii mora interposita anno 734. demum in vulgus eum emiserit. Qua de re post in §. 66. pluribus agemus.

56. Carminum tres priores libros Bentlejus deinceps quidem, anni modo spatio inter primum et secundum librum interjecto, sed singulos separatim et elaboratos et editos esse censet, ut supra vidimus. Ad ejus rationes refellendas jam satis fuerit, ad ea quae §§. 18—23. disputavimus, lectorem rejicere; siquidem cum tres illos libros non deinceps et singillatim concinnatos editosque, sed singula eorum Carmina promiscue variis temporibus scripta post in tria volumina, uno tempore edita, temere ac promiscue distributa esse probaverimus, per se quoque, non singula annorum spatia singulis libris esse attribuenda, evincitur. Sed quoniam suam quaeque pars disputationem requirit, paucis, et in prima et in novissima cujusque libri Carmina inquirentes, rationis istius temeritatem commonstrare studebimus, accuratioribus de singulis judiciis, qualia in Epodis adhibuimus, in posterum tempus reservatis.

57. Ac primi libri Carmina intra angustos fines annorum 725—27. a. u. c. minime contineri statim videbit si quis vel carmen tertium ad navem qua Virgilius a. u. c. 735. in Graeciam profecturus erat, respexerit. Hic enim annus ita firmiter et indubitate constitu-

Maecenati suo crinem Licymniae et flagrantia oscula amabiliter describit II. Od. 12., cum Phrynes amore se macerari dicit Epod. 14., mentitum fuisse, aut carmina ad Neaeram, Epod. 15. ad Tyndaridem, I. Od. 17. ad Lydiam, III. Od. 9. ad Phyllidem, IV. Od. 11. nil nisi umbratiles lusus esse statuamus? Di meliora! Nos quidem Horatium ex ingenii sui indole tum ad vitae delicias prudenter captandas prona, tum non minus a servili aliorum imitatione quam a loquacibus nugis aliena, in cunctis illis carminibus amatoriis veros amores expressisse quos ipse et senserit et nutriverit, judicamus; ac sicubi fictis aut immutatis puellarum nominibus ex more poëtarum illius aevi usus sit, sub his nominibus veras personas, velut sub Lesbiae apud Catullum Clodiam, sub Deliae apud Tibullum Planiam, sub Cynthiae apud Propertium Hostiam (v. Bentl. ad II. Od. 12, 13. Weichert. Poët. Lat. p. 413.) delitescere, eaque nomina non temere variis locis immutata sed iisdem personis constanter attributa, ut v. c. unam modo eandemque Lydiam in Od. I, 8. 13. 25. III, 9. habeamus, quam maxime nobis persuasum est. At sane fieri potuit, ut idem nomen, in usitatis praesertim libertinarum Graecis appellationibus, non in unam modo sed alteram quoque conveniret, ut ex gr. duplicem Pholoën, primam in I. Od. 33, 7. II, 5. alteram in III. Od. 15. Buttmanno l. c. p. 307. libenter largimur, modo utramque non fingi sed vere vixisse statuamus. In his decernendis temporum rationes diligenter ineundae sunt, quibus effici plerumque probabili conjectura adhibita videmus, ut carmina in ejusdem nominis amicam per plures libros dispersa contextam quodammodo amoris alicujus historiam referant: quae quidem rationes, omni veritate ex illis carminibus sublata, si meros poëticos lusus esse statuimus, prorsus concidunt, sed nullo inde lectoribus vel commodo vel jucunditate accrescente. Adeoque Buttmannus ipse, cum reliquas Horatii amicas fictitias, arbitrariis indutas nominibus statuit, Cinaram tamen excipere veramque ejus amicam agnoscere propter Epist. I, 7, 27. 14, 33. se coactum videt. Ita vir optimus minime sibi constitit! Plura hac de re aliquando in commentatione jam exarata de Horatii amoribus dabimus.

tus est, ut vel eo Bentlejanae rationes evertantur. Ut taceam carmen 20. ad Maecenatem: „*Vile potabis*" propter rationes supra §. 20. allatas non ad priorem annum quam 735. referendum. Primum hujus libri numeramus C. 28. De Archyta: *Temaris et terrae*" quod a. 717. compositum in disputatione de Itinere Brundisino infra probare conabimur, et sub idem tempus C. II, 6. „*Septimi Gades*" et III, 13. „*O fons Bandusiae.*" Quod si recte, ut credo, statuimus, primus liber non trium, sed viginti annorum spatium complectitur.

Secundo Odarum libro Bentl. annos 729. 30. attribuit. Quod perperam factum Od. 58.
9. ad Valgium arguit, quam sub hiemem a. 734. circa tempus Epistolae duodecimae scriptam certissima documenta, *Augusti tropaea* i. e. signa a Parthis recepta v. 19. (Dio LIV, 8.) Tigranis in Armeniorum regnum deductio per Tiberium Neronem v. 20. (Dio LIV, 9.) et Geloni s. Daci a Lentulo devicti (Flor. IV, 12, 18.) arguunt (v. Masson. p. 299. 306. Weichert Comm. de Valgio Rufo. Poët. Lat. p. 204.). At septimum hujus libri Carmen ad Pompejum Varum jam a. 715. compositum esse, quo pace inter Sex. Pompejum et Triumviros Miseni facta cives proscripti redeundi veniam impetrarunt, jam supra in §. 9. monuimus. Quare etiam huic libro spatium fere viginti annorum assignandum est.

Tertium Odarum librum Bentlejus intra biennium, 731. 32. (Btl. 730. 31.) inclusit. 59.
Id vero est aut omnino nihil agere, aut ludificari lectorem. Non facile enim virum egregium fugere poterat, splendidam illam de Regulo Odam quintam: „*Coelo tonantem credidimus Jovem Regnare, praesens divus habebitur Augustus, adjectis Britannis Imperio, gravibusque Persis.*" non ante quam Augustus captivos et signa trium exercituum sub Crasso et Antonio olim amissorum a Phraate receperat (Dio LIV, 8. ib. Itprr. not. 63. T. VI. p. 103. Ed. Sturz.) scribi potuisse; quod quoniam sub auctumnum a. 734. factum esse constat, optimi quique interpretum vel ad hunc ipsum annum (Jani, Mitscherl.) vel ad proximum, quo Augustus die IV. Id. Octobr. Romam rediit, eam retulerunt (Masson. p. 311. sq. Wetz. Vanderb.). Deinde vir acutissimus si modo voluisset, post doctam Massoni disputationem pag. 190. sq. Carmen sextum: „*Delicta majorum*" non ad alium facile annum quam 726. a. u. c. trahi posse intelligeret. v. sup. §. 21. Nos quidem, ut modo diximus, Od. 13. „*O fons Bandusiae*" in carminibus tertii libri primum fuisse censemus, quam anno 717. attribuimus; ut uno et eodem viginti circiter annorum spatio, a. u. c. 715—736. cuncta trium priorum voluminum carmina promiscue scripta includi jure nostro statuere videamur.

Quarto Odarum libro Bentlejus triennii spatium, a. u. c. 738—40. (Btl. 737—39.) 60.
assignavit. Sed hac in re quoque aut festinantius egisse aut veritatem in suae opinionis gratiam susque deque habuisse videtur. Nam ultimum hujus libri carmen „*Phoebus volentem*" communis interpretum consensus ad a. 744. retulit, quo exeunte cunctis imperii hostibus superatis et jacentibus, pace per totum terrarum orbem restituta, Jani templum Augusto imperante tertium clausum est (v. 9. „*Janum Quirinum clausit*") Dio LIV, extr. c. 36. cum Fabr. nota 336. ut docte et copiose contra aliorum dubitationes et falsum Orosii judicium demonstravit Massonus in libro: Jani templum reseratum. Roterod. 1700. 8. cf. Jani Mi-

scherl. et Vanderb. in Prolegg. ad hanc Oden. Praeterea tria praestantissima hujus libri carmina, quintum, secundum et quartum decimum, Bentiejanam rationem toto biennio excedunt, quippe quae communiter ad exoptatum omnibus Augusti reditum e Gallia vere a. u. c. 741. factum spectent, cum ille Lolliana clade quam in Germania Romani acceperant, exterritus per tres continuos annos ad res Gallicas, Germanicas, Hispanicasque componendas Roma abfuisset. Dio LIV, 20—25. Interea Drusus et Tiberius Nerones, Augusti privigni a. 739. gentes feroces inter Alpes et Danubium, Helvetiam et Noricum habitantes crebrisque incursionibus et Galliam Togatam et Italiae finitimas partes infestantes, Raetos, Vindelicos, Breunos, Genaunos, alios sub ejus auspiciis unica aestate perdomuerunt. Ac primum vere illius anni Drusus Vindelicos solus aggressus magna clade affecit, indeque praetorios tulit honores. Dio LIV, 22. quam victoriam Horatius Augusti rogatu carmine quarto hujus libri „*Qualem ministrum*“ statim post nuncium Romam allatum hoc ipso anno 739. celebravit. Dein cum ab Italia rejecti Raeti, nihilominus Galliam urgerent, Tiberius fratri in auxilium submissus; amboque fratres, barbaros pluribus simul locis aggressi brevi prorsus debellarunt et mense Sextili (O. 14, 35. cf. Fabr. not. 139. ad Dion. LI, 19.) finem bello imposuerunt. Quam communem fratrum victoriam Horatius in Carm. 14. „*Quae cura patrum*“ a. 741. paulio post Augusti reditum in urbem laudibus extulit*). Hoc carmen illo tempore et occasione scriptum interpretum diligentia, Massoni inprimis p. 348. sq. satis luculenter demonstravit. Modo Janius in Argum. carminis secundi Drusi expeditiones in Sigambros a. 742. et 743. factas et triumphales honores inde reportatos Dione auctore L. LIV. c. 32. 33. contra historicorum fidem (cf. etiam Flori L. IV. 12, 23—26.) ad a. 740. refert et in utroque carmine, secundo et quarto decimo respici putat, cum potius loci illi, Od. 2, 35. 14. 51. ad illam mudo *pacem* spectent, quam Sigambri Augusti adventu territi, anno 738. exeunte *datis obsidibus* ab eo acceperunt. Dio LIV, 20. extr. quod recte jam statuit Massonus, Bucherio confutato, qui propter Sigambros tandem per Tiberium, Druso jam mortuo, perdomitos, Carmen 14. demum ad annum obitus Horatii, 746. retulerat.

61. Hoc carmen „*Quae cura patrum*“ ex illis tribus (5. 2. 14.) novissimum esse vel inde

---

*) Praestantissimos aliquot interpretes, Janium imprimis dico atque Vandarburgium, (nam Mitscherl. doctum servavit silentium) Dio, quod Lib. LIV, 22. Raetos dicit, non Vindelicos, Druso primum obviam factos ab eoque praelio fusos, in errorem induxit, ut Drusum prima illa expeditione Raetos solum devicisse, in altera una cum fratre Raetos et Vindelicos existimarent, ideoque carmen quartum non anno 739. sed simul cum quarto decimo a. 741. demum compositum statuerint. Atqui Horatius ipse iis certissimus dux et testis esse poterat; qui Vindelicos a Druso, Raetos a Tiberio potissimum devictos sole clarius indicat. Nam Od. 4. v. 17. dicit: „*Videre Raetis bella sub Alpibus Drusum gerentem Vindelici.*“ ubi lectionem *Raetis* Bentl. e sua et N. Heinsii conjectura duobus apud ipsum mss., uno Torr. uno Comb. uno ap. Feam confirmato, bene induxit et asseruit. Vulgatam *Raeti* Vanderb. ita quidem tueri studet, ut non casu recto num. pluralis sed patrio casu dictam accipiat: Alpes Raeti, ut moenia Romuli, ab antiquo gentis ductore Raeto, ex Plinii auctoritate L. III, 24: „*Raetos Tuscorum prolem arbitrantur a Gallis pulsos duce Raeto.*“ Quod idem tradidit Justinus L. XX. c. 5. „*Tusci quoque duce Raeto, avitis sedibus amissis, Alpes occupavere; et ex ducis nomine gentes Raetorum condiderunt.*“ Sed vereor, ne tum nimis coacta appareat haec interpretatio: nam inter *Moenia Romuli* (quae is quidem condidit) et *Alpes Raeti* aliquid interest: tum nimis docta, vel ipsis Horatiani aevi lectoribus. Deinde in Ode 14. utrumque victorem et ab utroque victos inter se componit

patet, quod poëta principem ut Romae **praesentem** alloquitur. Nam **quintum** Carmen nimis diu absentis Augusti desiderium, **secundum** mox rediturì laetam exspectationem significat. Quare illud a. **740.** ad Augustum, quo eum in patriae quasi gremium revocaret, cum Massono p. **341.** scriptum esse arbitror. Jani et Vanderb. ipsi anno **741.** (vereor ut recte) assignant. Deinde alterum Carmen **ad Julum Antonium** insequentis anni primis mensibus, cum Augustei reditus jam certa exspectatio esset, compositum statuimus. Mitscherlichium hanc Eclogam in annum **738.** rejicientem, eam ob rationem, quod Raeticae victoriae nulla in eo mentio fiat, Vanderb. in Argum. recte refutavit.

Jam ad **Epistolarum** Libri primi recensum pervenimus, quibus perficiendis Bentlejus 62.
modo biennii spatium, a. u. c. **734. 35.** Horatio concessit. Sed hujus quoque rationis temeritatem singula Epistolarum tempora accuratius explorata satis arguunt. Secundam quidem Epistolam: „*Trojani belli scriptorem*“ et duodevicesimam: „*Si bene te novi*“ ad unum eundemque Lollium adolescentem scriptas esse, sed variis temporibus, eumque Lollium filium natu majorem fuisse ejus M. Lollii qui consul a. u. **733.** Horatio nostro conjunctissimus carmine Lib. IV. nono celebratur (ubi v. itprr. et Bayle Lex. s. v. *Lollius*) post Norisium ad Cenotaph. Pis. II, **14.** p. **255.** et Massonum p. **262.** sqq. **324.** sqq. interpretes communi fere consensu ac summa cum probabilitate statuerunt (v. Obbarii, doctissimi interpretis Prolegg. ad hanc Epist. separatim editam Halberst. **1828.** 8.). Quem cum hac Epistola puerum etiam in schola declamitantem benevolentia vere paterna honestissimis ad vitam agendam consiliis ex Homerica lectione haustis imbuit, tum in altera juvenem jam militia probatum

---

cum dicit v. 6. sqq. „*Maxime principum, quem legis expertes Latinae* ***Vindelici*** *didicere nuper, Quid Marte posses: Milite nam tuo* ***Drusus Genaunos,*** *implacidum genus,* ***Breunosque*** *veloces et arces Alpibus impositas tremendis Dejecit acer* ***plus vice simplici;*** *Major* ***Neronum*** *mox grave proelium Commisit,* ***immanesque Raetos*** *Auspiciis pepulit secundis.*“ Quid apertius dici poterat, quam Vindelicos a Druso non semel, sed *plus vice simplici*, id est, et vere et aestate devictos; contra **Raetos** a *majore Neronum*, Tiberio, mox gravi proelio esse pulsos? Nam Genaunos et Breunos s. Breones Vindelicorum partes fuisse, et Ptolemaeus Geogr. L. II, 13. testis est, et Strabo L. IV, p. 206. B. cujus verba haec sunt: *Οἱ δὲ Οὐινδελικοὶ καὶ Νωρικοὶ τὴν ἐκτὸς παρώρειαν κατέχουσι τὸ πλέον μετὰ Βρεύνων καὶ Γεναύνων*, ut Casaub. bene restituit pro Aldina lectione *Βρέγκων*; cf. Cellar. Geogr. Antiq. T. I. L. II. c. 7. §. 24. qui eos ad radices Raetarum Alpium circa Aenum fluvium habitasse ex Venantio Fortunat. Vita S. Martini demonstravit: „*Qua vicina sedent* ***Breunam*** loca, *perge, per Alpem Ingrediens, rapida qua gurgite volvitur Aenus.*“ Haud tamen nobis reticendum est, apud Plinium H. Nat. III, 24. (T. I. p. 729. Fr) inscriptionem e trophaeo Alpium quod ex hac ipsa expeditione Augusto S. P. Q. R. constituit, exhiberi, in qua *Breuni* et *Genaunes* in gentibus quidem Alpinis, sed non proprie in Vindeliciis numerantur. Unde patet, non satis hac de re inter ipsos aequales constitisse, quod minime mirum, ut in barbaris gentibus. Sed quod nobis h. l. maximi est, Horatius quidem noster hos populos Vindelicorum nationi manifesto adnumerat, cum ait: „***Vindelici*** *didicere nuper: milite* ***nam*** *tuo Drusus* ***Genaunos*** *—* ***Breunos****que veloces — dejecit plus vice simplici.*“ — Itaque certissime constare videmus, de **Vindeliciis** victoriam non unam sed iteratam Druso, de Raetis simplicem Tiberio adscribi; nec Dionis contrarium testimonium, si quod esset, nos movere deberet, ut adversus Horatium ipsum statueremus. Sed revera non exstat. Dio enim ex usu posterioris aevi loquitur, quo Vindelicia etiam sub communi Raetiae provinciae nomine comprehendebatur, quod utraque conjuncta uni semper praesidi parebat. Quare Tacitus Germ. c. 41. Augustam Vindelicorum „splendidissimam Raetiae provinciae coloniam“ dixit. cf. Cellarii Geogr. Ant. T. I. L. II. c. 7. §. 22. qui addit:

praeceptis vere aureis ad principum virorum favorem et amicitiam cum libertate sectandam et colendam instruit. Quodsi illam primam epistolam adolescentulo sexdecim circiter annorum dicatam probabiliter statuimus, ex versu ep. 18, 55. „*denique saevam militiam puer et Cantabrica bella tulisti.*" colligere licet, Augusto a. u. 729. in Cantabros proficiscenti comitem fuisse circa annum aetatis duodevicesimum, cum superiore anno virili toga sumta militiae adscriptus fuisset. Hinc epistolam illam primam ad Lollium a. u. c. 727. compositam esse efficitur: alteri versus 56. „*sub duce, qui templis Parthorum signa refigit nunc*" annum 734. a. u. c. certissime adserit, quo Lollius annum aetatis vicesimum tertium agebat, cui admonitio illa de cautione in procerum usu salua animi libertate adhibenda egregie conveniebat. Hinc jam hujus libri spatium non intra duorum sed octo annorum terminos contineri apparet. Sed haud paucas ejus epistolas etiam ultra terminum alterum a Bentlejo constitutum egredi, i. e. post annum 736. scriptas esse vel interna earum indole satis declarari videtur, etiamsi externis quidem indiciis haud facile ullam ejus Eclogam post annum 735. a. u. c. scriptam evincere liceat.

63. Ac mihi quidem **Epistola prima** non modo propter insignem compositionis dignitatem sed propter mitem imprimis maturioris aetatis sapientiam in ea explicitam, qua abjecta omni re ludicra ipsisque versibus, inania quae vulgus hominum per totam vitam appetat, a vero, recto atque perenni bono probe discernens hoc jam unice se spectare et sequi affirmat; qua in re non vitae quidem ipsius, sed earum rerum quibus vita plerumque agitatur, genero-

---

„Hinc factum est, ut quia Romani provinciam appellabant **Raetiam**, Vindelicorum nomen paene exolesceret." Hinc patet, cur Dio in tota ista narratione de amborum Neronum in hos populos Alpinos expeditione L. LIV, 22. de Raetis duntaxat, nunquam de Vindelicis locutus sit, cum antiquiores quidem scriptores utrosque probe discreverint. Strabo IV. p. 206. Sueton. Aug. 21. Tiber. 9. Vellejus, falsus Tiberii assectator, II, 95. et huic contrarius Florus IV, 12, 4.

Quare hac dubitatione sublata nihil impedit, quominus Oden quartam illo ipso anno 739. statim post nuncium de Drusi victoria Romam allatum ab Horatio compositam esse statuamus, atque Augusti absentis rogata fortasse per Maecenatis intercessionem eo magis hoc factum esse, quod illam victoriam Drusus Augusto dilectissimus viginti trium annorum adolescens (Sueton. Claud. c. 1.) proprio ductu primam reportaverat, quam vitricus tanti fecit, ut praetorios ei propter eam honores concederet. Omninoque fieri non potuisse ut seriore eam tempore poëta scripserit, ex his efficitur. Hanc Oden Horatius si paucis post Drusi victoriam mensibus componere voluisset, postquam ambo fratres conjunctis viribus hostem debellarunt, non Drusum solum laudare poterat, nisi Tiberii animum ad offensas omnino pronum graviter laedere vellet. (Nam verba v. 28: *in pueros Nerones* non laudes Tiberii ut victoris, includere, quod Vanderb. putat, vel ex singulari *juvenis* — non *juvenum* — appellatione satis patet). Atque cum ipso Tiberio necessitatis ei plus quam cum Druso intercessisse ex epistolis aliquot (Ep. I, 9. II, 2, 1.) colligere liceat. Multo minus eam anno 741. demum simul cum quarta decima poterat scripsisse, quia posteaquam ambo fratres in illo carmine paribus extulerat laudibus, ut supervacaneam sumsisse operam videretur, si proprio etiam carmine Drusum ideoque bis uno tempore ob eandem rem celebraret, et certe maximum sibi odium et invidiam a Tiberio, nec prorsus immerito, contraxisset. Contra si Drusum quarto carmine laudavit antequam Tiberius ejus expeditionis particeps factus est, et citra invidiam hoc erat, et Tiberio non poterat nisi gratissimum fieri, ut Augusti reditu idoneam occasionem praebente, ipsius quoque partes in gloriosa illa expeditione una cum fratris a poëta laudatissimo celebrarentur. Hae rationes credo sufficient ad sententiam nostram de utriusque carminis tempore probandam atque stabiliendam.

sum taedium prodit [9]), propterea, dico, haec mihi epistola — nec mihi soli sed pluribus — non modo in ultimis hujus libri, tempus si spectemus, numeranda, sed serioribus etiam poëtae annis adscribenda esse videtur. Haud sine justa ratione eam huic epistolarum collectioni praepositam, qua tamquam prooemio quodam, totum hoc opus Maecenati suo inscriberet ac dedicaret, non est quod dubitemus. Sed non idcirco eum in finem proprio consilio esse compositam, potius aliam quandam occasionem, qua poëta ad versus componendos a patrono suo excitatus fuerit, in exordio significari, cum dicit: *„Prima dicte mihi, summa dicende Camena, spectatum satis et donatum jam rude quaeris, Maecenas, iterum antiquo me includere ludo."* et olim jam doctum Obbarii acumen in Commentario ad hanc Epist. v. 1. p. 7. observavit, et nos nuper in Ed. Satirarum T. I. p. 157. pluribus demonstravimus. Primum enim, nec primam Camenam ad Satiras, nec summam Camenam ad Epistolas referri, vel ipsa Camenae appellatio satis arguit, ut quae nec de Sermonibus nec de Epistolis cogitare nobis permittat, quibus ipse ut Musae pedestris foetibus (II. Sat. 6, 17.) poëmatum nomen denegat (I. Sat. 4, 20.) ideoque in operum suorum censu (I. Epist. 19.) omiserit. Schol. Cruq. *„Prima Camena, scilicet in principio carminis lyrici."* Quare et prima et summa Camena non alia carmina quam lyrica designari, quibus et pridem fautorem suum celebraverit et extrema oratione celebraturus sit, ideoque nil nisi animum et studia Maecenati perpetuo addicta significari (cf. II. Od. 17.) pro certo sumere licet. Deinde de Maecenatis aliquo

9) Temperare mihi non possum, quin praestantissimae hujus Eclogae internam rationem et sententiarum inter se nexum paullo obscuriorem necdum satis ab interpretibus explicitum, hoc loco paucis exponam, ut in fine carminis verborum structuram adhuc laborantem facili unius vocabuli emendatione in ordinem redigam et sic genuinum operi candorem restituam.

Sententiarum ordo fere hic est: Ad carmina pangenda, lyra jam deposita, denuo a te, Maecenas, excitor (v. 1—3.): sed tum aetas senectuti propior et juvenili ardore destituta monet, ut lusum poëticam mittam: tum mens et voluntas a poësi me avocant (v. 4—10.) quid verum, rectum atque decens sit, unice jam quaerentem et ea procurantem quae promta ad usum sint; ita quidem ut nulli certae disciplinae me adstringam (v. 11—19.). At totum animi studium ac desiderium jam ad id explorandum atque agendum fertur, quod per se bonum atque honestum in omni aetate vitaeque conditione unice conducit (v. 20—27.). Quo in studio etiamsi summam sapientiae attingere non licet, operae tamen pretium est, ad aliquem ejus gradum pervenire (v. 28—32). Sapientia enim et animi perturbationibus et omni interno malo nos liberat; nam vitium fugere et stultitia vacare primum est sapientiae (v. 33—42.). Atqui si summa virium contentione ea quae vulgo mala habentur, paupertatem sortisque humilitatem effugere conamur, quidni ea cognoscere operae pretium esse censeamus, quae mala illa omnino nihili facere nos edocent, et cum vulgo communibus malis quasi in triviis conflictemur, majorem nobis et augustiorem palmam, quasi Olympicis victoribus, sine labore nostro offerunt? (v. 43—52.). Virtutem dico, omnibus thesauris majorem. Quamquam vulgus hominum pecuniam maximi facit et supra virtutem collocat: non item puerorum naenia antiquitus tradita, quae regnum recte facientibus offert (v. 53—64.). Nonne vero improbae divitiarum et honorum cupiditati illa animi altitudo, quae nos super omnes fortunae injurias effert, praeferatur? (v. 65—69.). Quare equidem judicium vulgi de expetendis fugiendisve rebus ut damnosum repudio (v. 70—75.). Nam quoniam sua interna lege caret, alios ad alias res amplectendas et persequendas impellit (v. 76—80.) nec homines sibi constare in vita ac studiis patitur, sed ab alio ad aliud desiderium temere incitat, ut nihil certi atque firmi habeant, sed meras vicissitudines nulla lege et norma perpetuo expetant (v. 81—93.). Atque ita huic hominum inconstantiae omni lege carenti adsueti sumus, ut vel tu, Maecenas, cum in cultu et vestitu meo quaedam inconvenientia deprehenderis, rideas et stomacheris; inconstantiam animi ac vitae, quae multo pejor est, ut vulgarem inter homines stultitiam, non exagites, nec idcirco me curatore egere credas, cum praesertim tu ipse mihi tutor sis

rogatu, quo ipsum fere jam desuetum ad opus poëticum denuo excitare coepit, in exordio manifesto agitur. Quodnam ergo hoc opus intelligamus? Epistolasne ipsas? At eas jam omnes scripserat, si hanc quidem pro praefatione aut dedicatione haberi volumus. Ut taceam quod monuimus, Horatium ipsum Epistolam non in poëticis operibus numerare. Schol. Cruq. bene: „*Antiquo ludo: alludit ad libros carminum.*“ Non possumus itaque quin de sollemni aliqua occasione cogitemus, quam lyrico carmine celebrandam Maecenas amico jam senescenti (v. 8.) ideoque invito injunxerit. Ac circumspicienti mihi, quaenam sub illud tempus publica causa Maecenatem ad talem petitionem compellere potuerit, commodissime sese offert Drusi Neronis Augusti privigni de Vindelicis a. 739. victoria: quam Augustus, ut in dilectissimo juvene, et tanti fecit ut praetoriis eum honoribus ornaverit (v. sup. §. 60.) et ab Horatio imprimis carmine celebrari voluit, ut ex pleno Suetonii in Vita testimonio constat. Quare cum Augustus illo tempore in Gallia abesset, Maecenati id muneris per epistolam demandasse credibile est, ut ab Horatio id quod se velle significasset, impetraret. Poëtam autem hac epistola Maecenati ita respondisse, ut munus honorificum sibi oblatum non detrectaret quidem, sed insolitum jam sibi negotium senectute obrepente denuo injungi modeste quereretur vitaeque suae se studiorum rationes hac occasione oblata Maecenati suo exponeret. Hanc autem epistolam paullo post fortasse anno insequente 740, cum primum Epistolarum librum editurus esset, propter argumenti commoditatem reliquis praeposuisse, ut quasi dedicationis loco esset, mihi probabile visum est. Judicium penes lectores esto.

64. Hac occasione haud absimilem illi de Epistola hujus libri **ultima** „*Vertumnum Janumque*“ conjecturam afferre liceat. Quam vulgo epilogi loco huic Epistolarum libro pro clau-

---

(v. 94 — 105.). Ad summam quae vulgo bona habentur, certam et stabilem felicitatem haud praestant; sapiens solus perfecte beatus, rex denique regum est (106 — 108.).

Ita hujus Eclogae sententias, licet tenui saepe adeoque fugiente subtemine contextas, explicite illa texture, egregie inter se cohaerere et quasi orbem suum conficere videmus. Ultimus modo locus, quod ex prava ejus distinctione patet, nondum recte ab interpretibus acceptus esse videtur, qui urbanam festivitatem hujus loci: „*Nec medici credis nec curatoris egere A praetore dati, rerum tutela mearum Cum (tu ipse) sis*“ non satis assecuti, haec ultima cum sequenti enunciato: „*et prave sectum stomacheris ob unguem,*“ nec ad explicationem nec ad oppositionem apto, junxerunt: adulterina scilicet lectione **stomacheris** inducti, quae jam antiquitus apud Scholl. Acr. et Cruq. obvia tum in libris mss. tum in editis fere omnibus invaluit. Ea sane pravam illam conjunctionem: *cum sis — et stomacheris* necessariam fecit. Unica vera nobis illa lectio esse videtur, quam Ed. Pinciana Venet. 1492. et quae ex illa manarunt, Venetae 1494. 495. 498. Medioll. 1508. 512. exhibent, a nullo adhuc interpretum enotata: **et stomacharis**, qua et sensus loci et constructio ad genuinum suum nitorem restituitur, distinctione post sis facta, in hunc modum:

Nec medici credis nec curatoris egere
A praetore dati, rerum tutela mearum
Cum sis; et prave sectum **stomacharis** ob unguem
De te pendentis, te respicientis amici.

Quippe in enunciatorum: *Nec credis — egere, et stomacharis* — compositione particula **et** adversativam vim habet, i. q. **sed**, ut saepe post negationem (v. Th. Schmid. ad II. Epist. 1, 53. Jahn ad III. Odar. 27, 26.). Ita enim sententiae inter se opponuntur: „*Si — occurro, rides: si toga dissidet impar, rides: si mea pugnat sententia secum etc. non rides, nec me credis curatore egere; sed stomacharis ob unguem prave sectum.*“ Sic ultimum enunciatum clausulam quodammodo facit ad superiora illa: *si curatus — rides.* — Ceterum haec quae sub finem eclogae Horatius de se et Maecenate attulit, non omnino serio, etiamsi vera fuerint, sed jocose magis ad ea quae dixerat probanda afferri, ex toto sententiarum nexu satis liquere arbitror.

suis affictam atque additam esse opinantur. Nec sane quicquam, ejus indolem si respexeris, huic fini accommodatius fieri potuit. At enim ipsa anni 733. a. u. c. quo scriptam se fert, accurata significatio „*Me quater undenos sciat implevisse Decembres, Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno,*" scrupulum viris doctis de ipsius destinatione ac fine dudum injecit. Nam cum epilogi natura hoc ferre videatur, ut absolutis demum omnibus unius libri Eclogis componatur atque pro clausula addatur, haud credibile merito plerisque visum est, primum Epistolarum librum jam anno 734. perfectum atque omnibus numeris absolutum fuisse. Jam Massonus hanc dubitationem sibi objecit et hunc in modum ad eam respondit: „Si vero haec Epistola (qua fingit Horatius se aliquem ex suis libris alloqui eundemque „hortari, ne festinaret in publicum prodire) ad priorem Epistolarum librum pertinuerit una- „que edita fuerit: tum esset dicendum, illam temporis notam a poëta hic appositam eo fine „non fuisse, ut ea designaret annum quo hunc emisit librum ipsamque Epistolam; alias „enim idem complectitur, quae certissime aliquot post hunc annis conscriptae fuerunt. Forte ad- „eoque, ut nonnulli censent, ista Epistola ad aliud Horatii volumen spectave- „rit, quod hoc tempore vel proxime subsequente, publici juris fecerit. „Nec etiam constat vatem nostrum sua edidisse opera eodem ordine, quem nunc obtinent." Ergo Sanadonus hanc Eclogam ex Epistolis prorsus eximit et Satiris pro Praefatione praemissam esse censet. Cujus rationi hoc jam obstat, quod non plures sed unum modo librum poëta alloquitur. At Gesnerus commento nimis artificioso et subtili persuadere nobis cupit ad v. 28. non ipso illo anno Epistolam vere scriptam esse, sed qualicunque Horatium causa commoveri potuisse ut ab his Coss. aetatem suam signaret.

Mihi quidem haec Epistola et tertia decima „*Ut proficiscentem*" prorsus ejusdem 65. naturae atque indolis esse videntur. In utraque enim, privato lusu scripta, operum suorum volumina a se emissa mente ac cogitatione tum ad Augustum tum in ipsam provinciam comitatur. In illa quidem ad Vinium Asellam bajulo s. tabellario, homini rustico, cui carminum suorum volumina ad Augustum perferenda commiserat, ridicula ratione in Asellae nomine ludens, facete praecipit quae ei in sarcina deportanda reddendaque observanda sint. Omnino mihi dubium non est, quin haec ad Vinium Asellam Epistola a. u. c. 736. ea occasione scripta sit, cum Horatius primam Carminum suorum collectionem in tres libros redactam in vulgus editurus esset ejusque exemplar ad Caesarem Augustum mitteret. Nam et plura volumina dicuntur v. 2. (haud dubie in capsa aliqua inclusa atque signata) ut non de uno aliquo libro cogitandum sit: et Carminum appellatio v. 17. vetat quominus vel de Satiris vel de Epistolis cogitemus. Hanc quidem Epistolam utrum Horatius Asellae simul cum illis Carminum voluminibus ad Augustum perferendam tradiderit necne, non facile poterit effici; nec magni refert; certe Epistolarum primo libro post inseruit.

Eadem fere hujus ultimae Epistolae „*Vertumnum Janumque*" ratio fuisse mihi vide- 66. tur. Librum quidem suum aliquem poëta alloquitur, quem in vulgus est emissurus, anno quem ipse in fine designavit, 733. Epistolarum quidem librum primum illo tempore nondum absolverat, quod cum Massono plures viderunt; nec Satirarum libros nec Carminum tres prio-

res poterat intelligere, quos non singillatim sed conjunctim emissos fuisse vidimus. Itaque nil nobis reliquum est, nisi ut de Epodon libro quem illo tempore publici juris facere instituerit, cogitemus. Ejus quidem libri editionem eum distulisse, donec odia et irae quas singuli Epodi moverant, deferbuissent, defunctis interim fortasse nonnullis eorum quos laesisset, velut Canidia, Maevio, aliis, a veritatis specie haud mihi alienum esse videtur. Quod si placuerit, Epistolam hanc quasi comitem illi libro scripsisse eamque una cum novo illo volumine ad Augustum, Maecenatem aliosque tum fautores tum amicos dimisisse probabiliter statuere videmur. Nam ipsi primo Epistolarum libro Ecloga undevicesima ad Maecenatem „*Prisco si credis*" verior et aptior poterat esse clausula, quippe qua et Maecenati suo librum, ut in prima Ecloga, proprium traderet et non huic modo sed cunctis lectoribus publice de iis quae adhuc in poësi tentasset et praestitisset, rationem redderet.

67. Denique Lollii consulatus Horatianae aetati definiendae in Epist. 20. adhibitus carminis illius ad hunc poëtae nostri amicum Odar. IV, 9. „*Ne forte credas*" nos commonefacit. Quod ad Lollium Consularem (v. 39.) s. 736. ea occasione esse scriptum, cum amico Odarum suarum collectionem tribus voluminibus contentam jamque in vulgus emittendam, dono mitteret, perquam mihi probabile videtur. Nam ita demum quae de carminum suorum perennitate futura aliquanto gloriosius praedicat, ipsi Lollio sua opera nominis aeternitatem (quam vere ei praestitit) pollicitus, suam veram vim atque explicationem accipiunt. Massonus p. 319. sqq. non sat idoneis rationibus ad annum cladis Lollianae 738. hoc carmen retulit; Vanderb. etiam post id tempus constituit.

68. Secundum Epistolarum Librum et Artem poëticam Bentlejus incertis quidem, sed extremis poëtae annis assignavit. Qua in re equidem prorsus cum eo consentio: modo quantum fieri poterit, anni accuratius erunt definiendi. Atque de prima quidem ad Augustum Epistola „*Cum tot sustineas*" nulla omnino est dubitatio, quippe quam eodem quo IV. Od. 15. anno 744. u. c. scriptam, Augusto ipso flagitante (Sueton. in Vita Hor.) vel Jani clausi commemoratio v. 254. 55. satis demonstrat. v. omnino Massoni accuratam disputationem p. 360. sqq. Quare de illo anno Itprr. fere consentire video, etiam Cl. Schmidium in Ed. T. II. p. 7., licet vir egregius quae ibi statuerat ad Ep. 2. p. 159. ni prorsus retractet, at in dubium vocet. Nollem factum. Nihil enim quo illa sententia convincatur, explorati attulit. Nam quod e loco v. 245—47. auspicatur, Virgilium et Varium etiam tum in vivis fuisse, indidem Massonus p. 368. mortuos fuisse colligit, quocum ego magis sentio.

69. Paullo difficilius et incertius ad definiendum tempus alterius Epistolae ad Florum esse videtur. Ex epistolae argumento constat, Julium Florum Horatii familiarem sine dubio eundem, ad quem primi libri Epistola tertia data est, hic quoque ut illic, in Tiberii Neronis comitatu s. cohorte amicorum quam secum in provinciam abduxit, deprehendi eique Horatium se propter epistolarum raritatem et carmina non missa excusare. En omnia! Ne levissimum quidem vestigium eo nos ducit, ut eandem quam in illa epistola Tiberii expeditionem Asiaticam a. 733—35. intelligamus. Quidni is, qui fidelis amicus Neroni dici-

tur, et in aliam quemvis expeditionem comes ei fuerit? Utique nimis anxie vv. dd. Massonus (p. 296.) Sanadonus, Weichertus (Poët. Lat. p. 317.), Schmidius p. 159. in illa expeditione animis defixi hanc Epistolam adeo tertiam illam Libri primi tempore praecessisse arbitrati sunt. Sed ad gravissimam illam quaestionem, cur hoc si statuamus, poëta egregiam hanc Epistolam non statim primo libro inseruerit et quae causa cogitari possit, cur eam olim compositam per tot annos in scrinio detinuerit, dum secundum Epistolarum librum aliquando ederet, ad eam inquam aut obmutuerunt aut leves ac nugaces hariolationes attulerunt. Ergo testimonia ex ipsa libelli indole petita nihili faciemus? Atqui ingravescentis jam senectae haec Ecloga, omnino primae Libri primi multis in rebus et sententiis cognata, certissima indicia prae se fert; cf. v. 55. 56. 141—144. 211. 214. 215. quae ante quinquagesimum aetatis annum haec scribi non potuisse satis arguunt. Quare equidem illam, de qua in tertia libri primi Epistola agitur, Asiaticam Flori cum Tiberio profectionem in hac Ecloga minime intelligi arbitror; potius expeditionem designari quam Tiberius a. u. c. 743. in Dalmatas rebellantes et Pannonios optimo cum successu fecit (Dio LIV. 34.) in eaque Florum ei comitem fuisse equidem meo jure statuo, atque ei ipsi anno 743. propter rationes modo allatas hanc alteram Epistolam assignare haud dubito, cui jam olim Dacerius et Rodellius attribuerunt. Nec quisquam, credo, nisi certissima documenta historica contra attulerit, hanc nostram rationem, ad quam inclinare etiam Jacobsium V. Cel. video, evertet.

Denique Artem poëticam cum plerisque interpretum certis de rationibus Horatia- 70.
norum operum ultimum esse judico et extremo ejus biennio, annis u. c. 745. 46. assigno. Qua de re nuper frustra in dubium vocata „(v. *Iac. Henr. van Reenen Disputatio de Q. Horatii Fl. Epistola ad Pisones. Amst.* 1806.)“ non minus quam de totius operis consilio ac natura plenam nobis disputationem esse relictam video, quam suo loco aliquando dabimus.

Alterum Epistolarum volumen cum Arte poëtica num Horatio etiam superstite et editionem 71.
curante publicam lucem adspexerit, est quod dubitemus. Epistolae illi ad Pisones quae jam apud Quintilianum Inst. VIII, 3. et Grammaticos vulgo Artis poëticae Liber vocatur certe nec in codd. mss. nec ab antiquis Grammaticis tertius locus in altero Epistolarum volumine assignatur, etsi in Epistolis numeratur apud Charisium. Quare equidem secundum hunc librum duabus Epistolis constantem una cum illa ad Pisones, sed ea separatim exhibita, post Horatii obitum demum Augusti fortasse cura, quem heredem nuncupaverat (Suet. Vit.), publice editum esse censeo.

Quod si ea quae contra Bentlejanas rationes adhoc disputavimus, sub unum quasi conspe- 72.
ctum revocare placet, haec fere tamquam collecta ex iis breviter repetemus.

1) Horatius e proelio Philippensi Romam reversus ab anno aetatis vicesimo quarto a. u. c. 713. poëmatia scribere iisque mox innotescere Romae coepit. Primo quidem Satiras ad Lucilii, iambica carmina (Epodos) ad Archilochi exemplum promiscue composuit, mox etiam Lyrica ad Alcaei et Sapphus imitationem tractavit, quibus seriori tempore, a duodequadragesimo inde aetatis anno post absolutas Satiras et Epodos Epistolarum etiam scriptionem adjunxit; ita quidem, ut nunquam in uno poëmatum genere unice defixus atque occupatus esset, sed Satirarum tamen

et Jamborum compositio magis ad juvenilem, Carminum lyricorum et post Epistolarum magis ad mediam et extremam ejus aetatem pertineret.

73. 2) Ab anno aetatis quarto et vicesimo inde usque ad quinquagesimum septimum, qui fuit supremus vitae annus, Horatius varii generis poëmatiis componendis occupatus fuit; ita quidem ut et primo et ultimo tempore pauciora quam in maturioris aetatis flore proferret (nam quae in acerbiore juventa ut minus perfecta forte delevit, in numerum non veniunt): sed nullum tamen vitae tempus opusculis prorsus caruit, nec certa unius aut plurium annorum spatia statuere licet, quibus poëta nihil omnino egerit.

74. 3) Pleraque Horatii opuscula cum primum elaborata essent, singula innotuerunt et in hominum manus pervenerunt, antequam justis voluminibus collecta ab eo in vulgus ederentur. Quod ita factum existimare licet, ut Eclogae ad privatos scriptae exemplaribus descriptis divulgarentur, Eclogae communis magis argumenti, et Satirae omnes et Carmina haud pauca ad publicas res spectantia statim per Horatii amicos et cultores publici juris fierent.

75. 4) Horatius singula operum suorum volumina non cuncta seorsim diversis temporibus edidit, sed et Satiras simul omnes duobus voluminibus comprehensas in vulgus emisit et tres priores Carminum libros uno eodemque tempore publici juris fecit. Epodon modo librum, Epistolarum primum et Odarum quartum variis temporibus separatim editos esse constat. Secundum Epistolarum volumen cum Epistola ad Pisones demum post obitum Horatii publici juris esse factum verisimile videtur.

76. 5) Horatius in ordinandis singulis opusculorum suorum voluminibus certam legem vel a temporibus vel a rebus vel a personis petitam minime sibi imposuisse atque secutus esse videtur. Ita potius et singula quae edidit Eclogarum volumina, et Satirarum duos et Carminum tres priores libros digessit, ut Eclogae omnes, quas perpolitas et ad edendum paratas habebat, temere in iis permiscerentur, modo primae et ultimae cujusque in singulis voluminibus, quae prologi vel epilogi locum obtineret, ratione aliqua habita. Fieri sane potuit, quod factum esse credimus, ut poëta in ipsa hac permixtione varietatem tum argumentorum tum temporum potissimum spectaverit; nec sine certo consilio in prima tertii Libri parte sex carmina tum compositionis splendore tum argumentorum gravitate excellentia collocasse videtur. Nec est quod dubitemus, quin cum librum aliquem sive Sermonum sive Carminum aut unum aut plures conjunctim ederet, Eclogas eo pertinentes quotquot adhuc perfecerat omnes in illam collectionem incluserit, nec singulas ad seriora volumina servaverit, quod nec per se probabile est nec ullo documento potest evinci.

77. 6) Horatius Eclogarum suarum volumina, ex nostra quidem sententia, hoc ordine scripsit ac perfecit:

- a) **Satirarum duos libros** simul et conjunctim editos, promiscue compositos, intra annos aetatis 24—37. a. u. c. 713—726.
- b) **Epodon librum**, intra annos aetatis 24—35. a. u. c. 713—724. editum demum a. 733.
- c) **Odarum tres libros priores**, simul et conjunctim editos, promiscue compositos, intra annos aetatis 26—47. a. u. c. 715—736.

d) **Epistolarum librum primum**, intra annos aetatis 38 — 50. a. u. c. 727 — 739.

e) **Odarum librum quartum**, intra annos aetatis 47 — 55. a. u. c. 736 — 744.

f) **Epistolarum librum secundum cum Arte poëtica**, intra annos aetatis 54 — 57. a. u. c. 743 — 746.

Jam absoluto disputationis nostrae de Bentlejana temporum constitutione apud Horatium curriculo, provincia suscepta nos abdicare alterumque jam de singulis Satirarum temporibus quaerendi stadium ingredi possimus. Sed nescio cujus daemonii vocem exaudire mihi videor intus monentis, consilio suscepto nondum prorsus esse satisfactum, nisi plenam **chronologiae quasi Horatianae** tabulam addiderim, qua uno conspectu „omnis votiva pateat veluti descripta tabella Vita" vatis nostri, quatenus in scriptis exprimitur; omniumque ejus librorum rationes inter se, singularumque omnium Eclogarum tempora facili negotio deprehendi ac perspici possint. Quod etsi non minus arduum ac difficile quam „periculosae plenum opus aleae" video, in tam incertis saepe rerum rationibus, in tot diversis inter se doctorum virorum judiciis et opinionibus, in tot subtilibus saepe et implicitis quaestionibus ad exploranda singula necessariis, quas tamen spatii nobis propositi brevitas maximam partem hoc loco silentio premere ac cohibere jubeat, nihilo secius tamen et lectionis Horatianae necessitatibus et lectorum voluntatibus sic recte consuluisse mihi videor, si in calce operis tabulam talem exhibuerim, in qua, tum iis diligenter cognitis et perquisitis, quae de Carminum Horatianorum temporibus doctissimorum interpretum, Fabri, Dacerii, Rodellii, Massoni, Sanadoni, Vaiarti, Gesneri, Janii, Wielandi, Wetzelii, Nitschii, Mitscherlichii, Feae, Heindorfii, Doeringii, Vanderburgii, Buttmanni, Th. Schmidii, Obbarii, Weicherti, Jahnii, C. Passovii observationes et disputationes adhuc attulerunt, tum adhibitis iis quae vel diligentissima ipsius Horatii ejusque veterum Commentatorum pervestigatio vel accurata poëtarum et historicorum illius aevi lectio nos edocuit, singularum cujusque libri Eclogarum tempora ex annorum serie designentur. Qua in re licet non omnia penitus explorata et ad liquidum redacta attulerimus, id quod ubi omne certum vestigium deficiebat, signo interrogandi (?) apposito significavimus, tamen nunquam temere et inconsulto ex Francogallorum quorundam more egimus, sed ex multa et fideli observatione tum certa et explorata, tum probabilia afferentes nullum omnino singulis Eclogis locum sine certis rationibus diu ac probe ponderatis assignavimus. Quas quum pluribus deinceps commentationibus pedetentim explicem, non abnuo; nunc quidem hoc mihi juris sumo, ut quibusdam ex iis quae adhuc attulimus jam probatis, nonnullis pro arbitratu nostro ad diligentiorem disputationem delectis, multa etiam quasi nuda et fulcris suis destituta in medium proferam, quibus et alii quaerendo et disceptando tum ingenia sua exerceant tum doctrinam ostentent. 78.

II.

De utroque Tigellio.

1. Nobilitatum est per Horatium nostrum cum in pluribus aliis libri primi Satiris, tum in secundae et tertiae exordiis potissimum cantoris Tigellii nomen, Ciceronis quoque lectoribus haud ignotum, Hermogenis cognomine passim addito. Cujus de persona, num unam eandemque esse omnibus locis, ubi illud nomen obvium est, an duos artifices ingenio et aetate inter se diversos eodem nomine praeditos significari putemus, cum nihildum certi fida observatione constitutum sit, sed variae adhuc sententiae temere ferantur, diligentiorem hoc loco quaestionem instituere eo magis nobis operae pretium visum est, quod ad justam vel rerum vel temporum in variis illis Eclogis rationem percipiendam, Tigellium istum accuratius cognitum habere et quae ad ejus personam aut unam aut duplicem magis illustrandam valeant, subtilius perquisivisse plurimum interest, quippe quem ipsis vitae Horatianae conditionibus varie implicitum ex his Eclogis cognoscere liceat.

2. Tigellium ergo proxime defunctum Horatius in Satirae secundae initio ita induxit:

Ambubaiarum collegia, pharmacopolae,
Mendici, mimae, balatrones, hoc genus omne
Maestum ac sollicitum est cantoris morte Tigelli:
Quippe benignus erat.

Pleniorem ejus descriptionem exhibet in Satirae tertiae initio:

Omnibus hoc vitium est cantoribus, inter amicos
Ut numquam inducant animum cantare rogati;
Iniussi numquam desistant. Sardus habebat
Ille Tigellius hoc. Caesar, qui cogere posset,
Si peteret per amicitiam patris atque suam, non
Quicquam proficeret; si collibuisset, ab ovo
Usque ad mala citaret: „Io Bacche!" modo summa
Voce, modo hac, resonat quae chordis quattuor ima.
Nil aequale homini fuit illi: saepe velut qui
Currebat fugiens hostem, persaepe velut qui
Iunonis sacra ferret: habebat saepe ducentos,
Saepe decem servos: modo reges atque tetrarchas,
Omnia magna loquens: modo: „Sit mihi mensa tripes et
„Concha salis puri et toga, quae defendere frigus,
„Quamvis crassa, queat!" Decies centena dedisses
Huic parco paucis contento: quinque diebus

Nil erat in loculis. Noctes vigilabat ad ipsum
Mane; diem totum stertebat: nil fuit umquam
Sic impar sibi.

Hinc imago nobis exoritur hominis non ex misera plebe, locata opera victum arte sua sibi quaeritantis, sed primariae conditionis, haud exiguo sumtu victitantis, cum principibus conversantis, Caesari utrique, et patri et filio, familiaris et convictoris, arrogantique contumacia in ipsum rerum dominum superbientis, ceterum in toto vitae genere sibi disparis, disconvenientis, nec victu, nec incessu, nec domestico cultu nec sententiis suis sibi constantis, sed ad omnem libidinis suae auram varie commoti. Eundemque nobis depingit propter incuriam divitiarum laute prodigum, cum Ambubajis, mimis, hariolis, pharmacopolis et ejusmodi levicula gente familiariter versantem, in eamque opes suas effundentem; sed in hac tamen animi vitaeque amabili levitate, qualis ingeniosorum artificum semper fuit, generosum quiddam, magnificum ac liberale, ut ex principum virorum usu haustum, ei tribuere videtur. 3.

Hunc ergo Tigellium cantorem postquam in Satirae secundae et tertiae exordiis ut nuper defunctum poëta quasi epicedio suo instruxit, nihilo secius et in eadem Satira 3, 129. et in quarta, nona ac decima, quas post alteram et tertiam scriptas esse constat, ut vivum, si diis placet, et de mortuis excitatum, modo proprio nomine, modo Hermogenis, modo utroque copulato nobis reducit, his locis: 4.

Sat. 3, 129. „*Ut, quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque Optimus est modulator.*"
Sat. 4, 72. „*Nulla taberna meos habeat neque pila libellos, Quis manus insudet volgi Hermogenisque Tigelli.*"
Sat. 9, 25. „*Invideat quod et Hermogenes, ego canto.*"
Sat. 10, 18. „*Quos neque pulcher Hermogenes umquam legit.*" v. 80. „*Aut quod ineptus Fannius, Hermogenis laedat conviva Tigelli.*" v. 90. „*Demetri, teque, Tigelli, Discipularum inter jubeo plorare cathedras.*

Haec inter se discrepantia cum interpretes aliquot recte animadvertissent, Dacerius ad Sat. 3, 3. et 129. post ad Sat. 10, 80. primus duplicem personam intelligi et Tigellium Hermogenem, juniorem, ab illo Tigellio Sardo, de quo ut defuncto Horatius agat, distinguendum esse contendit. Eum secuti sunt Ludov. Deprex ad Sat. 3, 3. 4, 72. Sanadonus ad Sat. 2, 3. 3, 129. Wielandius ad Sat. 4, not. 10. p. 155. et ad Sat. 10. Prooem. p. 282. et not. 18. p. 109. (qui minus caute et prudenter duplicem Tigellium Hermogenem statuit) et Zennius ad Sat. 4, 72.— Haec tamen sententia de duplici Tigellio tantum abfuit ut communem doctorum consensum inveniret, ut eum jam olim Baxterus ad Sat. 3, 129. Scholiastarum auctoritate sine dubio inductus, Hermogenem cantorem haud diversum ab illo Tigellio, ideoque ad Sat. 4, 72. Satiram quartam ante Tigellii obitum scriptam statuisset, vel hodie pierique interpretes, Doeringius et Bothius (in *Annott. ad Hor.*) ad Sat. 2, 2. Wetzel in lud. (sed dubitanter) Jahnius ad Sat. 2, 3. cum Heindorfio ad Sat. 4, 72. et Weicherto in Comm. *de Horatii Obtrectatoribus.* Poët. Lat. p. 297. sqq. qui pluribus de Tigellio egit, omnibus illis locis unum eundemque Tigellium 5.

intelligi, eumque, patria Sardum, pleno nomine M. **T i g e l l i u m H e r m o g e n e m** dictum contendant. Quam opinionem cum hodie fere invaluisse apud doctos videamus, nec quisquam adhuc exstiterit, qui vel hanc ipsam sat certis et probe expensis argumentis tueri ac confirmare, vel illam alteram justa disputatione reprobare ac refellere conatus sit, jam integram hanc **d e T i g e l l i i p e r s o n a** quaestionem semel exorsi pertexere et ad certum finem perducere decrevimus.

6. Primo loco Scholiastarum veterum testimonia ponemus. Schol. Cruq. ad Sat. 2, 2. „*Marcus Tigellius Hermogenes, musicae artis peritissimus, et vocis eximiae, C. Iulio Caesari dictatori familiaris fuit et post Cleopatrae acceptus maxime, Augusto quoque Caesari amicissimus, eo quod dulce caneret et urbane jocaretur, adeo ut inter familiares et domesticos haberetur. Sed is adeo largus erat, ut musicis, scenicis, scurris et circulatoribus multa donaret, quare ob mortem ejus omnes tristati sunt.*" Eadem fere Scholl. Acro et Porphyrio referunt. — Acro ad Sat. 2, 3. „*C a n t o r i s m o r t e: Mutato nomine per invidiam cantorem pro musico obtrectatorie dicit. Fuit autem modulator optimus, in Sardinia natus. Is carmina Horatii negabat satis perite modulata, et idcirco carpitur ab illo.*" Eadem iisdem fere verbis ap. Schol. Cruq. — Porphyrio ad Sat. 3, 1. „*O m n i b u s h o c v i t i u m: In eundem Tigellium Hermogenem et hic invehitur, eumque Sardum dixit, quod in Sardinia esset natus. Annotandum ergo, Sardum et Sardinensem dici posse. Nam Lucius Sarcitius.*" (corr. cum Fr. Dousa in Ed. Fragm. Lucil. p. 40. *L u c i l i u s S a t i r i c u s.*) *Sardinensem dixit in Sexto Satirarum: Sardinensem terram. At Licinius de Hermogene loquens:* „*Sardi Tigelli putidum caput venit.*" Eadem fere Schol. Cruq.

7. In his quae Scholl. attulere, plura sane interioris notitiae et doctrinae insunt, ex antiquis magnae fidei Commentariis „**d e p e r s o n i s H o r a t i a n i s**" quos laudat Porph. ad I. Sat. 3, 21. et 90. procul dubio desumta sed ea mutila et variis erroribus permixta. Certe quod ibi traditur, Tigellium cantorem et Julio Caesari Dictatori et Caesari Octaviano familiarem fuisse, Ciceronis et Horatii testimoniis confirmatur; idque non solum propter cantum artemque musicam, sed etiam propter facetias et urbanitatem in jocando, hinc discimus. In Cleopatrae gratiam pervenisse poterat vel Alexandriae, cum in Caesaris cohorte esset, vel in ipsa urbe a. u. c. 708. cum regina Caesarem visitatum Romam venisset et in ejus domo diutius commoraretur (Dio XLIII, 27. Sueton. Caes. 52. ib. Casaub.). Licinii Calvi versum a Scholl. laudatum ad hunc Tigellium Caesaris Dictatoris amicum pertinere mox videbimus. — Sed nec hunc fuisse, qui Horatii carmina satis perite modulata negasset, nec in eum M. Tigellii Hermogenis nomen convenire, sed majorem natu illum **T i g e l l i u m S a r d u m** cum minore **T i g e l l i o H e r m o g e n e**, Horatii obtrectatore, a Scholiastis confundi, ex iis quae jam a nobis afferentur, spero, patescet.

8. De Tigellio illo majore testem habemus ejus aequalem summae et indubitatae auctoritatis, Ciceronem consularem, cui a. u. c. 709. id mali evenit, ut cantoris illius adversam voluntatem sibi mereret, quod avi aut patrui ejus Phameae causam facile procrastinandam die praestituta agere non potuit, quia de Sestio ei in consilium eundum fuit (Cic. ad Attic. XIII,

49. ad Famil. VII, 24.), „*Ille autem* (sic Cicero ad Fabium Gallum l. c.) *qui sciret, se nepotem bellum tibicinem habere et sat bonum cantorem, discessit* (a Cicerone) *iratior.*" Ex eo inde etiam Tigellium sibi alienatum habuit. „*Cognosti meam caussam*" inquit „*et istius Salaconis iniquitatem. Sardos habes venales, alium alio nequiorem. Olim* (sic in eadem Epistola ad Gallum) „*cum regnare existimabamur, non tam ab ullis, quam hoc tempore observamur a familiarissimis Caesaris omnibus, praeter istum. Id ego in lucris pono, non ferre hominem pestilentiorem patria sua, eumque addictum jam dudum Calvi Licinii Hipponacteo praeconio.*" Significat vir consularis choliambum illum a Scholiaste nobis servatum:

„Sardi Tigelli putidum caput venit."

(*Tigells des Sarders abgeschmacktes Haupt — feil ists.*)

et in ipsa hac voce „Tigelli caput venit" facete ludens eum tanquam in auctione mancipium praeconis voce licitanti quasi addictum ait (v. Weichertum pluribus haec exponentem p. 305.). Tigellium igitur jam dudum Licinius Calvus poëta, Catulli amicus, Bioneo sale perfricuerat, aut odio in Caesarianos omnes, aut propria aliqua injuria ab illo accepta (ut Weichertus judicat p. 307.) permotus. — Id quidem constat, et jam pridem Phameam illum haud proletariae sortis in republica fuisse, ut qui Ciceroni, quocum conjunctus fuerat, operam suam in petitione consulatus obtulisset (ad Attic. XIII, 49.) et cujus exquisita coena a Pacto praedicata lautioris fortunae hominem proderet; et Tigellium Dictatori Caesari in intimis, suisque adversariis valde timendum fuisse. Nam etiamsi utriusque odium se non flocci facere et Attico suo (Ep. XIII, 50.) et Gallo (Epp. Fam. VII, 24.) Tullius significat, tamen propter illud suspensum animi et anxium factum sub Caesaris adventum ex Hispania ab amicis eum, etsi tecte et quasi pudenter petere, ut quam primum data opera hominem sibi concilient, ex Epp. ad Attic. XIII, 50. 51. et ad Fabium Gallum (Epp. Fam. VII, 24. 25.) videmus. E Caesaris Dictatoris familiaritate Tigellium quasi per manus traditum in intimam Octaviani Caesaris consuetudinem pervenisse, vel ex Horatii nostri loco in Satirae tertiae exordio manifesto apparet.

Duplex igitur nobis quaestio agitanda videtur: primum, utrum in omnibus Satiris unum 9.
eundemque cantorem Tigellium habeamus, an junior quidam Tigellius Hermogenes ab illo Tigellio Sardo separandus ac distinguendus esse videatur; deinde, utrum cum utroque an cum Hermogene solum Horatio simultates fuerint.

I. De utriusque Tigellii persona. Nos quidem Tigellium Sardum, de quo in Satirae secundae et tertiae exordiis agitur, a Tigellio Hermogene Horatii obtrectatore, qui in reliquis Satirarum locis memoratur, omnino separandum duplicemque Tigellii personam statuendam esse, his rationibus adducti judicamus.

1. Horatius Tigellium Hermogenem cantorem et modulatorem, vivum 10.
sibique aequalem, a Tigellio Sardo cantore defuncto, utriusque Caesaris amico, probe distinxit. Dubium esse non potest, quin quarta Libri I. Satira post secundam (si compares Sat. 4, 92. cum S. 2, 27.) decima rursus post quartam (si conferas Sat. 10. init. et v. 50. cum Sat. 4, 6—13.) scripta sit. Atqui in Satirae secundae et ter-

tiae exordiis, quo tempore Horatius vixdum aliquot Eclogis compositis innotescere coeperat, Tigellius Sardus cantor mortuus dicitur. Contra in eadem Satira 3, 129. dein Sat. 9, 25. 10, 18. Hermogenes quidam, alias Tigellius Hermogenes (Sat. 4, 72. 10, 80.) uno loco (Sat. 10, 90.) simpliciter Tigellius dictus, cantor et modulator optimus (S. 3, 129. 9, 25.) inter vivos Horatii aequales, idem Sat. 4, 72. in turba vulgi ut curiosus poëmatum in pilis et tabernis librariis scrutator, in Sat. 10, 18. ut Graecarum litterarum imperitus, v. 80. ib. inter viles poëtae obtrectatores, Pantilios, Demetrios, Fannios, et v. 90. ib. ut ludi magister qui puellas cantare doceat, cum contemtu memoratur. Quodsi quis hos duos homines ita prorsus distinctos inter se commiscere, mortuum Tigellium Sardum cum vivo Hermogene in unam personam confundere vellet, is profecto poëtam apertissime secum certantem efficeret. Quod animadvertens quidem Heindorfius, sed veteri opinioni de uno Tigellio semel addictus hanc discrepantiam ad Sat. 4, 72. singulari ratione ita tollere conatur, ut Tigellium Hermogenem quem ut vivum Horatius ibi memorat („*quis manus insudet volgi Hermogenisque Tigelli*") mortuum quidem illum, sed generice dictum et hoc et aliis locis putet, ut qui totum eorum hominum genus repraesentet, qui elegantis ingenii laudem captantes librariorum tabernas circumcursent et novissima quaeque quaeritent insolenterque taxent. Quod ut ei credamus, quonam argumento probavit? Comparato videlicet loco Sat. 3, 129. „*ut, quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen atque Optimus est modulator.*" quo Hermogenem item ut vivum ait nominari, cum tamen ex initio Satirae eum mortuum esse constet. Euge! bella argumentandi ratio, cum ex eo quod probandum erat, ipsa probatio deducitur. Non magis sane quisquam de homine mortuo hoc loco agi crediderit, ac si quis hodie de cantatrice dudum defuncta ita loquatur: „*Wenn auch die Mara schweigt, so ist sie dennoch eine treffliche Sängerin!*" Scilicet Heindorfius lege, qua nomina propria figurate adhibentur, non recte perspecta in Hermogenis persona generice constituenda graviter erravit. Nomina propria enim cum generice adhibentur, non nisi unam quandam et communem notionem designant, velut in illo: „*Sint Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones!*" (Martial. VIII, 56.) Maecenates pro fautoribus litterarum, Marones pro eximiis poëtis dicuntur (v. nos ad I. Sat. 1, 58.) sed quae singularum sunt personarum aut temporum, ea ejusmodi nominibus generice adhibitis non jam attribui possunt. Utrumne in illo loco Sat. 10, 80. „*aut quod ineptus Fannius, Hermogenis laedat conviva Tigelli?*" ineptum Fannium Hermogenis apud inferos convivam, an Hermogenem figurate dictum statuamus? Utrumne in illo altero Sat. 10, 90: „*Demetri, teque Tigelli, Discipularum inter jubeo plorare cathedras.*" mortuum Tigellium cum vivo Demetrio cantandi magistros generice et figurate dictos, an alterum in Orco, alterum in vivis inter discipularum cathedras plorare statuamus? *Οὐδὲν πρὸς Διόνυσον!* Ne pulchri quidem appellationem, Sat. 10, 18. (ὁ καλός.) satis apte mortuo indui crediderim. Duos ergo Tigellios, mortuum cantorem, Caesaris amicum, vivum Hermogenem, cantandi magistrum, poëtae adversarium, ab Horatio induci eosque probe inter se distingui praeter dubitationem nobis positum esse videtur.

II. 2. Etiam personae amborum et attributa parum inter se consentiunt.

Nam etiamsi similitudines quaedam exstant, quibus interpretes ducti unum modo Tigellium fuisse statuerunt, majores tamen dissimilitudines diligentius anquirenti sese offerunt, quam quae in unum eundemque hominem conveniant. Tigellius Sardus in Satirae tertiae exordio ut egregius cantor describitur; etiam apud Ciceronem bellus tibicen et sat bonus cantor. Haud secius Tigellius Hermogenes Sat. 3, 129. cantor atque modulator optimus, etiam Sat. 10, 18. pulcher Hermogenes appellatur. His ergo inter se conveniunt, eximius cantor et musicus uterque, bellus uterque. Sed cetera multum inter se ambo distant. Illum quidem mortuum poëta propter arrogantem in ipsum Caesarem pertinaciam, qua canere saepe detrectaverit, tum propter ingenii, vitae, cultus inaequalitatem, mimarum denique, scurrarum et circulatorum consuetudinem, ad prisci illius Sullae exemplum, stultitiae titulo notat; sed ejus, qualem in viro primariae conditionis, insigni praecipue musico, cum utroque Caesare homines facile condonarent. At enim vero prorsus alia sunt, quae in altero Tigellio vivo poëta exagitat. Hunc enim, licet ejus artificium laudet, in iis quae ejus personam vitaeque conditiones attinent, ubique despectui habet, eumque ut indoctum criticum, inepta curiositate circa pilas et tabernas librarias vagantem, cum ineptis ipsius sodalibus, Fannio, Psutilio, Demetrio a se contemni prae amicorum vere doctorum, Plotii, Virgilii, Varii, Fusci, et fautorum potentiorum, Maecenatis, Pollionis, Messalae honorificis de se judiciis significat, illum autem una cum Demetrio inter discipularum cathedras jubet plorare (quo contemtim significat victum cantare docendo quaerere, quod ego non tam de scholis mimarum cum Schol. Cruq. acceperim quam cum Acrone de ludo puellarum ingenuarum). Haecne convenerint in superbum istum et fastidiosum Caesaris utriusque convictorem, regum et procerum sodalem, quem viri consulares summa in republica dignitate et gravitate et metuendum et colendum sibi arbitrarentur? Isne, qui ducentos saepe servos, si pauciores, minimum decem aleret, victum sibi inter discipularum cathedras cantando quaereret? Minime gentium! — Accedit quod haec Hermogenis cum Demetrio cantore intima conjunctio ex Horatii ipsius testimonio in Tigellium illum majorem Caesaris amicum, haudquaquam cadere putest. Nam cum ex Scholiastarum testimonio „*simius iste, Nil praeter Calvum et doctus cantare Catullum*" non alius sit atque hic noster Demetrius: quomodo fieri potuisset, ut Tigellius Sardus conjunctissime cum eo viveret, qui nil nisi acerrimi ipsius adversarii, Licinii Calvi poëmatia, a quo *Hipponacteo* illo *praeconio* gravissime laesus fuerat, decantare consuesset? Hinc jam patet, propter externarum quoque conditionum diversitatem majorem illum Tigellium cum hoc minore minime esse confundendum.

3. Denique nominibus quoque inter se differunt, quorum similitudine jam olim effectum est, ut amborum personae in unam contraherentur. Id quidem antiquitus a Scholiastis factum videmus, qui Tigellium Sardum, utriusque Caesaris amicum, M. Tigellium Hermogenem appellavere, secutis usque ad Dacerium cunctis Horatii atque adeo Ciceronis ad Epistolas modo laudatas interpretibus. Sed quo jure, non liquet. Cicero et Horatius cum Licinio Calvo unici ac probatissimi testes, Hermogenis cognomen Sardo illi minime indiderunt, nec Hermogenes apud Horatium usquam Sardus appellatur. Potius cum ille in 12.

Satirae tertiae exordio Tigellius Sardus dicitur, hic in eadem Satira v. 129. simpliciter Hermogenes vocatur. Et Hermogenis nomen peregrinum ac Graecum est, et Sardi appellatio ut peregrini, primitus quidem patriam designans, in cognomen abiisse videtur, ut Syri, Lydi, Siculi, Marsi, Sabini. Tigellii nomen utrique commune vere Romanum est, licet in gentibus antiquae Romae non memoretur (nam quae est apud Gruterum in Thes. inscriptio Rom. p. 924. „*Manilius Tigelliae M. F. Potestati:*" eam aut Augustei aut serioris etiam esse aevi arbitror). Rem sic se habere puto. Tigellius Sardus, Phameae nepos (qui et ipse Sardus, fortasse libertus, jam circa Ciceronis consulatum opibus et auctoritate floruit) in gentem Tigelliam aliquando quocunque modo adscriptus, Sardi cognomen retinuit. Qui cum et cantu et facetiis suis se mox in Julii Caesaris aliorumque procerum gratiam et familiaritatem insinuasset, Cleopatrae quoque reginae acceptus, in claris et potentibus Romae viris coepit ipse haberi. Is ergo Hermogenem, et bellum hominem et eximium cantorem et modulatorem, vel propter consanguinitatem aliquam, vel propter artis communionem sibi gratum et carum, in filii locum adoptasse videtur, ut ipsius nomen ille acciperet, Hermogenis appellatione pro cognomine retenta. Hanc opinionem de Hermogene filio Tigellii adoptivo jam olim a Wielandio ad Sat. 10. not. 18. propositam si tenemus, rationem etiam habemus, cur post Satiram alteram et tertiam demum editam simultates inter Horatium et Hermogenem initium cepisse videantur, cum in Sat. 3. v. 129. hujus ut optimi cantoris et modulatoris perhonorificam etiam mentionem poëta fecisset. Sed illum nobis fingimus, cum primam patris defuncti leviorem in Satirae secundae exordio irrisionem silentio tulisset, altera hac in Satira tertia descriptione gravius exacerbatum, tum demum Horatii obtrectatorem egisse ejusque Eclogas adhuc editas ut parum perite modulatas exagitasse. Hinc intelligitur, cur poëta noster in Satira quarta et decima, utraque octavo demum anno post Tigellii Sardi obitum scripta, iniquius in Hermogenem invectus sit. Sed utut haec fuerunt, hoc certe ex iis quae adhuc disputavimus, constare puto, ambo cantores non aetate vitaeque conditionibus solum sed nominibus etiam inter se discrepantes, neutiquam in unam esse personam contrahendos, nec M. Tigellium Hermogenem, juniorem illum cantorem, vel apud Ciceronem quaerendum esse, vel apud Horatium in Satirae secundae et tertiae exordiis.

13. II. Num Horatio simultates cum Tigellio Sardo fuerint. Restat, ut paucis ostendamus quod ex supra dictis jam aliquo modo patere opinamur, Horatio cum Tigellio majore nec consuetudinem aliquam nec ullam simultatem intercessisse, ut quae de ipso retulit in Satirae secundae et tertiae exordiis, non ulla malignitate aut sui ulciscendi cupidine profecta esse appareat. Acro Schol. inimicitiarum inter utrumque causam hanc refert: „*Is carmina Horatii negabat satis perite modulata, et idcirco carpitur ab illo.*" Quaeritur ergo quaenam carmina illa intelligi possint. Secundam certe Satiram, in qua Tigellium proxime defunctum refert, plures ob rationes omnium fere interpretum consensu unum ex primis poëtae nostri fetibus fuisse censemus, quem septima duntaxat Satira de Rupilio Rege tempore praecesserit. Circumspectantibus igitur nobis et curiose in illa carmina inquirentibus nil nisi haec una brevissima Ecloga, qua primum quodammodo poëta experimentum ingenii

sui fecit, ad mordacem nobilis illius cantoris censuram sese offert. Et sane eam esse, propter quam a modorum pravitate notatam poëta Tigellium immortali odio et simultate vel ad inferos usque per multos annos insectatus fuerit, Weichertus V. Cl. Poet. Lat. p. 300. et cum eo Jahnius ad Sat. 2. v. 3. statuit. Quod mihi quidem haud unam ob rationem minime probabile videtur. Primum enim ambo inter se tum aetate tum sortis diversitate tantopere distabant, ut nec illum Caesareae domus ac procerum familiarem ignoti juvenis levidense carmen, si qua forte ad ipsius manus pervenisset, tanta animi attentione dignum habuisse, ut acrem ejus censuram ageret, putaverim, nec ita stultum sui amatorem Horatium adolescentem habuerim, ut si qua forte Tigellii judicium ad ipsius aures pervenisset, propter primi istius poëtici speciminis modos a viro claro et perito reprehensos vel mortuum probris incesseret. Sed fac eum, si fabulae isti fidem habere velis, primo statim tempore ira et indignatione percitum Tigellii defuncti memoriam inquinare voluisse, quod minime verisimile est, at certe nihil vel inhumanius vel etiam aequalium judicio ineptius et absurdius facere potuisset, quam ut mortuum illum cantorem per octo haud minus annos, et maxime quidem ultimo tempore in Satira decima, non contumeliis solum afficeret sed a mortuis excitaret et tanquam inter vivos ambulantem perstringeret. Credat quisquis velit; equidem talia vel malitiae vel stultitiae Horatium, hominem prae ceteris cordatum et ad judicandum quid deceat callidissimum, incusare, religioni mihi duxerim.

Haec omnia si recte et probabiliter a nobis disputata sunt, nemini posthac umquam dubium fore confidimus, quin M. Tigellius Hermogenes junior, cantor et modulator nobilis, 14.
Horatii aequalis et obtrectator, a Tigellio Sardo majore, Caesaris utriusque amico, a. u. c. 714. defuncto, omnino distinguendus et separandus sit, et cum de illo Horatius ut mortuo in Satirae secundae et tertiae exordiis egerit, hic nobis in reliquis Satirarum locis ut vivus proponatur; id quod hac commentatione efficere voluimus.

III.

De Satirae Libri primi Secundae et Tertiae temporibus.

Disputationi de utroque Tigellio jam absolutae alteram subjungere placet proxime cum illa 1.
cohaerentem de Satirae secundae et tertiae libri primi temporibus. Quae utraque cum a morte Tigellii illius majoris, utriusque Caesaris amici, commemoranda ejusque moribus describendis exordium suum sumserit, etiam tempore non nimis inter se distare videntur, ita tamen, ut secunda statim post illius obitum, quod e primis ejus verbis patet, tertia

aliquanto post scripta esse videatur. Quodsi ut Satiris illis annos suos assignemus, in tempus, quo Tigellius obierit, diligentius inquirendum esse videtur, id ita melius nos effecturos speramus, si primum quo tempore Horatius in Maecenatis familiaritatem receptus fuerit, accuratius exploraverimus. Nam cum certis quibusdam indiciis, alteram ante, tertiam post scriptam esse quam hoc factum sit, appareat, facili conjectura, hoc tempore firmiter constituto, etiam de Tigellii obitu et de Satirae utriusque tempore probabiliora quaedam statuere licebit.

3. Jam iis quae in prima Quaestione §. 38. contra Bentlejanas rationes de sextae Lib. II. Satirae tempore disputavimus, effectum esse putamus, ut dubitari non jam possit, quin post pugnam Actiacam circa finem anni 723. u. c. composita sit. At in eadem Satira tempus quo Maecenate familiariter uti coeperit, accuratius ipse definit v. 40.

Septimus octavo propior jam fugerit annus,
Ex quo Maecenas me coepit habere suorum
In numero.

Septem ergo annos prope elapsos si ab anno 723. exeunte retro numeramus, incidimus in finem anni 716. aut a. 717. initium. Circa id igitur tempus principium consuetudinis inter utrumque factum certissime constat. Quod quomodo cum suis rationibus satis conciliare possint, illi viderint, qui cum sextam hanc Satiram tempori supra dicto, adeoque anni 724. initio assignant (v. Jahn ad Sat. 6, 40.), tamen consuetudinis illius initium in anni 716. u. c. primos menses constituunt (Weichert. Poët. Lat. p. 458.) scilicet opinione illa, qua Wesselingius iter Brundisinum anno 716. u. c. vindicare frustra conatus est, obstricti (v. Jahn Praef. ad Virgil. p. XIX. Weichert. P. L. p. 454. Heind. ad. Sat. I, 5. init.). Quo de itinere in quarta Quaestione agemus. Porro in sexta Libri primi Satira se nono demum mense ex quo primum apud Maecenatem, Virgilio Varioque intercedentibus, introductus sit, in ejus amicitiam esse receptum dicit v. 55.

Virgilius, post hunc Varius, dixere quid essem.
Ut veni coram, singultim pauca locutus — —
Sed, quod eram, narro: Respondes, ut tuus est mos,
Pauca: abeo; et revocas nono post mense, jubesque
Esse in amicorum numero.

Recte igitur hanc primam congressionem vere anni 716. u. c. factam statuimus.

4. Ac primum nobis de Satira secunda quaerendum est, eane post illud tempus an antequam Maecenati Horatius innotuerit, scripta esse videatur. Notissimus est ejus locus et multis super eo virorum doctorum disputationibus nobilitatus v. 24.

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.
Malchinus tunicis demissis ambulat: est qui
Inguen ad obscoenum subductis usque facetus.

His verbis: „*Malchinus tunicis demissis ambulat*" Maecenatem tangi, quem vita cultuque mollem et discinctum tunica solutis in publico ambulare consuesse certissima antiquitatis testimonia prodiderunt (v. Senecam Epist. CXIV. et quos laudat Weichertus P. L. p. 417.

sqq.) Scholiastae veteres certatim affirmarunt; Schol. Cruq. „*Malthini nomine quidam Maecenatem significari suspicantur. A re autem ipsa fictum est nomen: μαλθακὸς enim et μαλακὸς idem est quod mollis et delicatus. Porro autem tunicis demissis ambulare eorum est, qui se molles et delicatos haberi volunt.*" Eadem fere Scholl. Acro et Porphyrio referunt. Sed ille causam etiam probabilem addidit: „*Varicosus enim fuit.*" ut Maecenatem non tam propter mollitiem quam propter pudorem, non alia ratione quam qua Ciceronem togam altius demisisse Quintilianus testatur Inst. Or. XI, 3, 143. scilicet ut turpes crurum varices tegeret, tunicam demisisse suspicari liceat.

Sed quaecunque ei insoliti hujus cultus causa fuit, de re ipsa sat gravibus testimoniis probata dubitari non posse videtur. Quare haec res Horatio cum in homine notissimo latere minime potuisset, non tam id quaerendum esse videtur, num Malchinum quendam propter hoc vitium exagitans primarium istum in rep. virum consulto tangere et vellicare voluerit, an temere et imprudenter id fecerit, quam hoc potius, utrum Maecenatem Horatius jam tum cum haec scriberet, patronum ac fautorem habuerit necne. Nam quoniam omnes quicunque haec legerent, de Maecenate statim cogitarent necesse fuit, accedente praeterea nominis similitudine pari syllabarum numero et quantitate insignis, Horatius si imprudens hanc in Maecenatem injuriam inflixisset, profecto magis etiam quam si consulto faceret, incusandus et ex vera Wielandi sententia baronis nomine notandus esset. Quare poëtam nostrum consilio egisse et Malchini nomine ad illius similitudinem pari syllabarum numero et quantitate conficto, quo hominem mollem et delicatum significaret (v. doctissimam Weicherti super hoc vocabulo disputationem Poët. Lat. p. 429 sqq.) Maecenatem perstringere voluisse omnino statuendum est. 4.

At id certe non post fecit quam apud Maecenatem introductus et in ejus familiaritatem receptus est. Nam etiamsi Maecenas, qui, Seneca teste Epist. CXIV., vitia sua latere utique noluit, tale probrum publice sibi illatum aequo animo tulisset, ut vere tulit, ab Horatii parte tamen non minus impudentiae quam imprudentiae, non minus animi ingrati et maligni quam stolide petulantis signum fuisset, si potentem fautorem et amicum, qui sponte ipsum in familiaritatis foedus adscivisset, prava ejus consuetudine exagitata, publicae irrisioni exponere voluisset. Quae agendi ratio, quam ipse ut nefariam et flagitiosam in Satira tertia damnat, quia ab Horatii ingenio et moribus prorsus aliena fuit, omnino consentimus cum Viris Clariss. Theod. Schmidio et Weicherto (Poët. Sat. p. 452 sqq.) hanc Satiram eo tempore scriptam statuentibus, quo poëta noster Maecenati vix nomine innotuisset, nedum aliquo beneficio officiove esset obligatus. Qui cum e bello Philippensi Romam modo reversus juvenili ardore libertatem, quam armis defenderat, in scriptis quoque tueri conaretur, audaci scilicet paupertate impulsus ut versus faceret, in primis Musae suae fetibus, omnibus etiam tum ignotus, Luciliano ritu cum omnino perversa aequalium studia et vitia versibus exagitare, tum praecipue ubicunque locus datus esset, in ipsius Triumviri potentis amicos et asseclas acerbius invehi eorumque vitia perstringere coepit. In quibus et Maecenatem satirico flagello tangere propter insolentem in cultu negligentiam ac muliebrem molli- 5.

tiam eo minus sibi religioni duxit, quod eum ut praecipuum adversae partis adjutorem et noverat et tum etiam aversabatur.

6. His ita positis jam pridem cum Cel. Weicherto alterius Satirae compositionem una cum Tigellii cantoris obitu, unde eam poëta suspicatus est, in annum 714. u. c. constituere, quo tempore nulla etiam inter Horatium ac Maecenatem consuetudo intercessisset, haud dubitavimus. Etenim nec est quod prius factam statuamus, quia anni minimum spatio opus erat, ex quo e bello Philippensi rediit, ad rerum et hominum in urbe conditiones ita, ut in hac Satira descriptae sunt, pernoscendas; nec quod serius scriptam suspicemur, quia statim postquam Maecenatem hac Ecloga publice perstrinxit, eum huic commendatum et ab ipso vocatum esse quem cognosceret et inter amicos reciperet, parum credibile est. Id modo viro honoratissimo haud facile concesserim, quod in Comm. de Vario II. p. 8. sibi finxit, Maecenatem Satirae secundae acrimonia offensum et subiratum, aegre tandem Virgilii Variique intercessione et conjunctis eorum precibus permotum esse, ut mordacem istum libertini Venusini filium commodus ad se admitteret. Credo potius, cum hac Satira ex ipsis Epicureae disciplinae penetralibus desumta, tot salibus et facetiis condita, pro ingenii sui indole ad illam philosophiam proclivi mirifice oblectatum et sua ipsius sub ficto Malchini nomine faceta irrisione minime offensum, propter ipsam hanc Eclogam (nam praeter hanc et parvulam septimam nullam etiam tum scripserat) propensiore in poëtam animo esse factum et mox, Virgilii etiam Variique suasu, ad se admisisse nonoque post mense in amicorum numerum recepisse. Certe id generosioris animi viro dignum fuit, cum praesertim talis jocandi libertas a saeculi ingenio nondum abesset. Maximo sententiae nostrae documento hoc esse putamus, quod cum duodecimo post anno poëta, intima jam dudum familiaritate cum Maecenate suo conjunctus, Satiras adhuc compositas omnes in duos libros ipsi dedicatos redactas in vulgus ederet, versus ille famosus de Maecenate non olim modo, sed etiam tum discincto, neutiquam sublatus aut mutatus est, quod patrono jubente vel optante perfacile fieri potuit; sed intactus mansit, unde Maecenatem eo minime offensum sed magis delectatum esse manifesto liquere arbitramur.

7. Quodsi alteram hanc Satiram statim post Tigellii obitum atque ante primam cum Maecenate congressionem compositam jure nostro statuimus, **tertiam Satiram**, in cujus exordio pluribus de Tigellio ut pridem defuncto egit, et post alteram scriptam, et ex quo apud Maecenatem non solum introductus sed in ejus quoque consuetudinem et familiaritatem receptus fuerat, ex hujus Satirae loco v. 63. sqq. quo eam **totam Maecenati scriptam ac dedicatam** significat, luculentissime apparet.

> *Simplicior quis et est, **qualem me saepe libenter***
> ***Obtulerim tibi, Maecenas**, ut forte legentem*
> *Aut tacitum impellat quovis sermone: Molestus!*
> *Communi sensu plane caret, inquimus. Eheu,*
> *Quam temere in nosmet legem sancimus iniquam!*

Haec quidem Horatius non poterat scripsisse antequam in amicorum numerum a Maecenate receptus ejus domum frequentare coeperat: nec assentiri possumus Cl. Weicherto, in Comm.

H. de Vario p. 9. hujus Eclogae compositionem ad hiemem a. 715—16. illudque tempus referenti, quo post primam cum Maecenate congressionem poëta nondum in ejus consuetudinem admissus fuisset.

Etenim si primi aditus descriptionem legimus Sat. I, 6, 56. sqq. „*Ut veni coram, singultim pauca locutus: Infans namque pudor prohibebat plura profari: — respondes, ut tuus* 8.
est mos, Pauca: abeo, et revocas nono post mense, jubesque Esse in amicorum numero:“ tum quam parcum verborum mentisque celatorem Maecenas a taciturnitate nobilis (Sueton. Aug. c. 66.) primum adeuntibus se praestiterit, qui importunos facile deterreret („*difficiles aditus primos habet.*“ Sat. 9, 56.): tum quanta cum cautione, pudore et modestia poëta noster in principem virum primo conventu se gesserit, facile animadvertimus. Hunc ergo post primum statim congressum, cum nullo etiam tum consuetudinis atque amicitiae vinculo cum viro illustri colligatus esset, in carmine se ejus amicum publice venditare aut certe talem se ostentare, qui omni tempore vel invocatus eum adire et negotiis districtum atque occupatum interpellare cuperet, temeritatis atque insolentiae foret et ab homine tam subacti judicii quali Horatius fuit, prorsus alienae et profecto minime factae ad Maecenatis gratiam ei conciliandam. Haec ut scriberet, adulta certe et confirmata jam consuetudine opus fuit, etiamsi verba illa: „*qualem me saepe libenter obtulerim tibi, Maecenas:*“ timiditatem quandam atque incertam etiam sese gerendi rationem prodant cum longioris usus atque familiaritatis confidentia parum convenientem. Quare haud diu postquam in amicorum numerum a Maecenate adscitus est, hanc Eclogam ab Horatio compositam statuo. Id quidem sub finem anni 716. u. c. factum, nono post mense quam ad primum cum Maecenate colloquium vocatus est, supra vidimus. Hinc Eclogam nostram aut exeunte anno 716., aut primis anni 717. mensibus, ante quam iter Brundisinum ingressus est, scriptam colligimus. Non enim seriore tempore compositam esse, cum etiam Tigellii cantoris memoria fere obsolevisset, probabile nobis videtur.

Nec ullum profecto argumentum ita factum videri poterat ad Maecenatis ei animum 9.
prorsus conciliandum omnemque malignitatis et atrae bilis suspicionem, quam ex alterius Satirae acerbis multis non in se ipsum modo sed in alios quoque conjectis contumeliis concepisse poterat, penitus amoliendam. Nam cum in hac Satira de mala inter sodales obtrectandi calumniandique libidine ageret, indulgentiamque in levioribus amicorum vitiis et peccatis ut verum amicitiae vinculum commendaret, atque exemplo quo familiarem suum Virgilium procul dubio descripsit v. 29—34. quomodo in judicando minores eorum turpitudines majoribus tegere et obscurare deberemus virtutibus ostenderet, poëta animi sui candorem novo patrono ita comprobavit, ut jam de ejus praecipua ad fidem in amicitia servandam indole dubitare non posset. Quare hanc Eclogam Horatius tanquam apologiam initae cum Maecenate suo familiaritatis scripsisse jure existimandus est *).

*) Ad summum compositionis artificium in praestantissima hac Satira recte dijodicandum permagni refert ut loci illius difficillimi v. 19. sq. sententia recte percipiatur: quam, quoniam et reliquis adhuc interpretibus et nobis ipsis quoque in Satirarum editione nuper emissa latuit, paucis exponere in animo est. Poëta, postquam in hujus

IV.

De itinere Brundisino.

1. In lepidissimis Horatiani ingenii monumentis iudicra illa descriptio itineris quod in Maecenatis comitatu Brundisium fecit, ad Luciliani itineris in tertio Satirarum libro exemplum composita merito numeratur. De tempore et causa illius itineris viri docti non omnino inter se consenserunt. Ad pacem inter Triumviros a. u. c. 714. Brundisii per Maecenatis Cocceji et Pollionis intercessionem factam, qua Octavia, Caesaris Octaviani soror, Marcelli vidua, Antonio desponsa est (Appian. B. Civ. V, 64. Plutarch. Anton. c. 31.) cum antiquis jam Scholiastis plures olim retulere; quos doeta disputatione Massonus p. 81—88 refutavit et annum 717. u. c. quo foedus Tarentinum inter Caesarem et Antonium Octaviae opera compositum est, huic legationi qua Maecenatem et Coccejum Nervam, quibus Terracinae Fontejus Capito, Antonio familiarissimus, se adjunxit, Brundisium, ad Antonium Caesari reconciliandum, missos esse, nostra Satira v. 27. sqq. docet, ipse constituit, cujus sub autumnum hoc iter factum arbitratur p. 125.

2. Massoni sententiam Wesselingius in Observatt. variar. Lib. II. c. 15. refellere et ex Appiano B. Civ. V, 78. probare conatus est, legationem illam ad superiorem annum 716. pertinere, quo Antonius Caesaris vocatu propter Sex. Pompeji bellum e Graecia Brundisium

---

Satirae exordio, quod supra vidimus, de Tigellii cantoris dudum defuncti arrogantia et vitae morumque perversitate egit, post verba „*nil fuit umquam sic impar sibi:*" repente narrationis suae cursum interpellans aliquem haec sibi objicientem inducit:

— *Nunc aliquis dicat mihi: Quid tu?*
Nullans habes vitia? Imo alia, et fortasse minora!

In his explicandis omnes adhuc interpretes hoc lapsi sunt, quod veterum Scholiastarum auctoritate inducti verba: „*Imo alia et fortasse minora!*" pro poëtae ipsius responsione ad quaestionem sibi objectam: „*Nullane habes vitia?*" acceperunt. Sic enim Acro Schol. „*Imo alia: sensus est: confiteor me habere vitia, sed leviora, nec sum similis Maenio qui dicebat, se ignoscere peccatis suis et tamquam leviora pro nihilo ducere.*" Eadem iisdem fere verbis Schol. Cruq. attulit.

Quodsi Horatium ipsum ita respondere statuimus, maximas nobis tum in verbis tum in sententiis difficultates oriri videmus. Nam verba si respicimus, particula et pro adversativa sed adhibita post fortiorem corrigendi particulam imo jam pridem interpretes merito offendit; quae dicendi ratio cum sermonis consuetudine omnino pugnat: tum etiam vox fortasse in tali judicio prorsus aliena esse videtur: nam vitia sua et nosse et recte expendere ei certe conveniebat, qui tam saepe alias de se agens ingenue ea profiteretur, v. c. I. Sat. 4, 130. 6, 65. II. Sat. 3, extr. 7, 22—45. I. Epist. 1, 97. sqq. 8, 3. sqq. — Deinde sententiam ipsam omnino nec cum poëtae animo nec cum iis quae paullo post attulit, congruere, facile pervincitur. Nam cum dicit: „*Imo alia et fortasse minora:*" vitia in se quidem inesse confessus, sed alia eaque minora quam quae Tigellio olim fuissent, certe vitia sibi inhaerentia ita elevat, ut ne mediocria quidem appareant, contra quam ipse de se statuit I. Sat. 4, 130: „*Mediocribus, et quis ignoscas, vitiis teneor.*" cf. 6, 65. Quaecunque enim in Tigellio vitia exagitavit, ea omnino non in eorum genere „*perniciem quaecunque ferunt:*" sed in mediocribus magis numeranda videntur, vel artificis insolentiam si spectamus, vel animi vitaeque inconstantiam (quam sibi ipsi poëta attribuit II. Sat. 7, 23. sqq. I. Ep. 1, 97. sqq. 8, 3. sqq.) vel pecuniarum, si suppeterent, levem ac temerariam effusionem, non quod homo nihili, decoctor et heluo esset, sed quod continere eas, ut musicus, nequiret: „*quippe benignus erat.*" ipse poëta ait Sat. 2, 4. Quare equidem, quod Mitscherlichius putat Racematt. Venusin. Fasc. VI. p. 5. Tigellium hoc nomine tam graviter ab Horatio accusari, ut sua vitia prae illis mediocria haberi voluerit, neutiquam sentio; nec ita puto illud „*et fortasse mi-*

venit, sed ubi illum non ibi deprehendit, statim revectus est. Hanc Wesselingii sententiam quoniam post Heynium in Vita Virg. ad a. 715. recentiores interpretes, Heindorfius (in Prolegg. ad Sat. 5.) Weichertus (de Vario Comm. II. p. 9.) Jahnius (Vita Virg. p. XIX.) cupide arripuerunt, ut fere prorsus jam invaluerit, eo magis Wesselingii argumenta, historia duce, subtilius examinare eorumque inanitate demonstrata iter illud in a. 717. firmiter constituere operae pretium esse duximus. Verba ejus haec sunt:

„Nunc ad ipsum itineris annum pergo. illum DCCXVI. u. c. fuisse persuadere mihi 3.
„non possum. Coiit illo pax Antonium inter et Caesarem Tarenti, non Brundusii, ut Appianus ostendit; neque adeo causa erat, quamobrem Maecenas, Coccejus Capitoque Fontejus „Brundusium, pacis conciliandae gratia, pergerent. Praeterea in itinere Octavia Maecenati „et Agrippae occurrit, sicuti Plutarchus in Antonii vita indicat. Et tamen nulla Agrippae, „nedum Octaviae, apud Horatium mentio est. Tandem pax convenit media et interprete „Octavia. Dio extremo lib. XLVIII. *Καὶ συνηλλάγησαν τρόπον τινά, τῆς Ὀκταουΐας ὅτι „μάλιστα τοῦτο πρασσούσης.* Quo ergo modo ad hanc pacificationem referri possunt vs. „27? „*Huc venturus erat Maecenas optimus atque Cocceius, missi magnis de rebus uterque „„Legati, aversos soliti componere amicos.*“ Atque hinc ego putem, Horatium Roma Brundusium esse profectum anno u. c. DCCXV. quo sub veris initia Brundusium Antonius ve„nit. Appianus Lib. V. p. 1138. Fateor brevi discessisse Antonium, sive territum prodi„gio, seu ob quaesitas causas, in Graeciam ad bellum Parthicum profligandum. Sed id Cae-

nora,“ ex Bentleji sententia posse defendi; nec quod Passovius et cum eo Mitscherl. censuit, illud fortasse ullius ad moderandam sententiam momenti, adeo, quod modo ostendimus, Horatii ipsius ore vitiose dictum judicamus. Quid porro, si vitia sua minora quam Tigellii faceret, Maenii exemplo sibi voluerit poëta? quod quidem hominis fuit aliena vitia exagitantis, propria nihili pendentis; cui cum verba subjungit: „*stultus et improbus hic amor est:*“ profecto se ipsum notat, et apertius etiam in his: „*Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis:*“ quae poëtae sententiam secum ipsam pugnantem efficiunt.

His quidem rationibus vel allatis vel tacite intellectis haud pauci interpretes jam antiquitus, vulgata lectione abjecta, alteram amplexi sunt quam Aldus Manutius primus induxit, post in mss. quoque aliquot repertam:

Nullane habes vitia? Imo alia, haud fortasse minora!

quam nos quoque olim, verum nondum videntes, Mureti, Stephani, Torrentii, Heinsii, Dacerii, Burmanni, aliorum, et nuperrime Heindorfii, Doeringii, Jahnii exempla secuti in Edit. nostra ut commodiorem exhibuimus. Sed perpetuo nos, fateor, etiam postmodo hunc locum retractantes mirus mstorum et Scholl. veterum consensus in lectione „*et fortasse minora*“ dubios et suspensos animi reddidit, cum praesertim et nostri codd. omnes tum quos pridem nominavimus tum alii post a nobis adhibiti, Gottingenses duo, Gaelpherbytani duo, unus Helmstadiensis, unus Basileensis, eam constanter tueri videremus. Hinc fere evenit, ut jam ad alteram illam loci explicationem ab Heindorfio olim, etsi ipso improbante, propositam, a Wachsmuthio in Athenaeo T. I. Fasc. 2. p. 312. pluribus commendatam inclinaremus, qua poëtam his verbis: „*Imo alia et fortasse minora,*“ non veram suam mentem aperire sed suo nomine responsi exemplum exhibere statuit, quale hominis fuerit sui unice amantis suaque vitia prae aliorum peccatis quam maxime imminuentis et elevantis; post, subjuncto talis impudentiae exemplo a Maenio petito, his demum verbis: „*Stultus et improbus hic amor est, dignusque notari:*“ poëtam animi sui sententiam exponere sumit. Quae explicandi ratio quamquam praecipuam loci difficultatem tollere conatur, ipsa tamen ita coacta et longe petita est, ut vulnus magis aperire quam sanare videatur: nec ullum in verbis vestigium, ex ipso Heindorfii judicio, ad eam nos ducit.

Sed diu se multum reputantibus tandem nobis vera loci interpretatio patefacta est, qua non omnis modo difficultas prorsus evanescit, sed interior quoque compositionis virtus, sententiarum ordine melius percepto exsplendescit, eaque ita facilis in medioque sita, ut mstorum fide servata ne alla quidem vocabuli mutatione opus sit; cum Scholiastarum nugis abjectis, Horatium non sua persona hoc responsum dare: „*Imo alia, et*

„sar Octavianus, qui eum arcessiverat, scire non poterat, cum Maecenatem ceterosque mit„teret. Atque haec de tempore scriptae eclogae.“

4. Primum nobis novissimam hujus disputationis partem impugnare liceat atque ostendere, legationem illam in a. 716. (Wessel. 715. qui aeram Capitol. sequitur.) cadere neutiquam potuisse; tum annum 717. ac foederis Tarentini occasionem huic itineri certis rationibus vindicare et Wesselingii argumenta contra allata infirmare atque refellere conabimur.

5. Historicorum testimonia de conventu illo a. 716. Coss. Appio Claudio Pulchro, C. Norbano Flacco Brundisium indicto sed Caesaris ipsius culpa non effecto, Appiani B. Civ. L. V. c. 77—79. et Dionis L. XLVIII. c. 45. 46. diligentius perquirentes et inter se conferentes haec fere comperimus. Sex. Pompejus hoc anno bellum in Caesarem, superiore anno pace Miseni facta sopitum, pluribus de causis instauraverat; tum quod Peloponnesi possessione sibi a Triumviris concessa arcebatur adhuc ab Antonio, debitas sibi a Peloponnesiis pecunias prius a Pompejo sibi praestari postulante; tum quod Menam, classis Pompejanae praefectum, ad se transfugientem simulque Sardiniam et Corsicam insulas cum classe et trium legionum exercitu sibi offerentem Caesar Octavianus non solum libentissime acceperat, sed insignibus quoque praemiis, annulo equestri et legati munere ornaverat (Appian. V, 78. 80. Dio XLVIII, 45.). Propterea eum Sex. Pompejus per Menecratem libertum suum Campaniae littora, pluribus oppidis vastatis, depopularetur, praedones Italiae oras et maria infestarent, commeatu intercluso

fortasse minora,“ sed haec omnia a. v. 19. inde: „*Quid tu? nullane habes vitia?*“ cet. usque ad v. 37. interlocutori cuidam ipsius narrationem de Tigellio interpellanti et ad propria vitia ipsum revocanti tribui videremus. Eum Horatius inducit severa objurgatione sibi malam calumniandi libidinem exprobrantem atque exemplo ab ipsa Virgilii persona, ut videtur, petito monentem, ne propter levia amicorum vitia aut delicta majores eorum laudes ac virtutes negligere et obscurare velit, ad propria potius mala ac pravitates animum dirigat easque emendare conetur. Atque interlocutorem illum his verbis acriter in se invehi fingit: „Quid tu? nullane habes vitia? Imo alia habeo; at fortasse minora dicos te habere, ex more illorum qui se ipsos unice amant, ut Maenius olim ille etc. Stultus profecto et improbus hic amor est!“ et sic pergit ille.

Hac egregia sermonis conversione, qua poëta scenica quodammodo arte usus omnem insolentiae speciem a se amovet, cum propter malignam Tigellii criminationem se statim ab alio quopiam verbis castigari fingit, ad ipsum hujus Satirae finem, ut malam jurgandi et calumniandi libidinem inter amicos et sodales accuset mutuamque inter eos indulgentiam ut optimum familiaritatis vinculum omni modo commendet, inde a verbis: „*Illuc praevertamur*“ v. 38. propria persona agens, transit, indeque ad clausulam usque egregia urbanam argumentum pertexit, cui in exordio per ea quae de Tigellio retulit, quasi exemplo obtrectationis graviter in se ipso notatae exhibito viam praeclara arte munierat. Ita nos genuinum huic Satirae splendorem prava illius loci interpretatione adhuc obscuratum restituisse gratiamque aliquam nobis ab Horatii cultoribus meruisse arbitramur.

Simili ratione Georg. Waddelius olim in Animadverss. critt. in loca quaedam Virgilii cet. Edinb. 1734. veram loci II. Sat. 3, 318. varie tentati nec a quoquam satis intellecti interpretationem invenit, cum vocem: „*Major dimidio*“ non ranae pullo, sed Damasippo referenti tribueret, in hunc modum:

Illa rogare:
„*Quantane? Num tantum,*“ sufflans se, „*magna fuisset?*“
Major dimidio: „*Num tantum?*“ Cum magis atque
Se magis inflaret, „*Non si te ruperis,*“ inquit,
„*Par eris.*“

„Major dimidio:“ id est, magis inflando sese dimidio major facta denuo rogat: „*Num tantum?*“ Haec liquido patent. Quare praeclaram hanc loci explanationem, ut parum inter nos cognitam, lectoribus hac occasione invidere noluimus.

urbs fame premeretur: Caesar, Appiano auctore c. 78., evocavit Antonium Athenis Brundisium ad praefinitum diem, ut de hoc bello consilia cum eo conferret (*καὶ Ἀντώνιον ἐξ Ἀθηνῶν ἐς τὸ Βρεντέσιον ἐς ἡμέραν ῥητὴν παρεκάλει συμβουλευσόμενος αὐτῷ περὶ τοῦδε τοῦ πολέμου.*): simulque naves longas a Ravenna et exercitum e Gallia, reliquumque bellicum apparatum propere misit Brundisium et Puteolos, ab utroque latere simul invasurus Siciliam, si idem videretur Antonio. Et venit quidem Antonius ad statutum diem cum paucis, sed quod Caesarem non deprehendit, sive bellum adversus Sextum improbans, sive Caesaris apparatum majorem auspectum habens, sive prodigio aliquo territus, nulla mora statim in Graeciam revectus est. Haec Appianus. Paullo aliter Dio l. c. qui Antonium et Lepidum propter renovatum a Pompejo bellum a Caesare in Italiam arcessitos, hunc quidem non paruisse, illum autem Brundisium vectum ibique prodigio territum, antequam ad Caesarem in Etruria versantem perveniret (si recte quidem ita interpretantur locum: *πρὶν δὲ ἢ συμμίξαι τῷ Καίσαρι ἐν Τυρσηνίᾳ ὄντι*) retro solvisse tradit; unde non Brundisium, sed Romam Triumvirorum conventum indictum esse, jure suspicari licet.

Utut haec se habeat, id quidem constat, Maecenatis et Cocceji legationi illi nec in Appiani nec in Dionis narratione ullum locum posse assignari, quae omnino nusquam memoretur, cum et in pace Brundisina a. 714. u. c. operae a Maecenate Coccejoque praestitae, et in foedere Tarentino Maecenatis certe mentio fiat. Sed omnino hoc in conventu indicto nulli erat legationi locus. Nam ipsius Appiani, quo Wesselingius auctore utitur, testimonio, certum diem Caesar Antonio praestituerat, quo non per legatos agere, sed ipse cum illo congredi Brundisii vellet. Quodsi ejus consilii eum post poenituit, ipseque apparere noluit, legatos ad illum diem adesse Brundisii oportebat, nec si serius mitteret, ulla re propter Antonii dignitatem laesam ac neglectam excusari potuisset. Nihil certe est quod Wesselingius attulit, Caesarem cum Maecenatem ceterosque mitteret, scire non potuisse, quam cito Antonius esset discessurus; certe quo die adventurus esset, scire poterat. Quid multa? Omnino non per legatos agere sed ipsum adventare voluisse Appianus manifesto prodidit L. V. c. 80. cum Caesarem conquestum esse de Antonio ait, quod se non exspectasset (*καὶ τὸν Ἀντώνιον οὐ περιμείναντα ἐμέμφετο*). Hinc jam legationem illam statui non posse satis probatur. 6.

Deinde quem ejus legationis finem Wesselingius statuit? Scilicet quae lites, querelas et suspiciones inter utrumque ortas componeret et amoveret. Quod ipse poëta aperte significavit his verbis: „*missi magnis de rebus uterque Legati, aversos soliti componere amicos.*" At nullae eo tempore querelae, nullaedum simultates et contumeliae inter utrumque intercesserant. Octavia, Caesaris soror, femina tum formae honestate tum animi virtutibus insignis, modo superiore anno Antonio nupta, illo etiam tempore affinitatis et amicitiae vinculum inter utrumque continebat. Antonius totus in ejus amorem effusus hiemem Athenis inter festa ludosque et omnis generis oblectationes hilariter cum ea transegerat et cum Caesare communi causa commodoque contra Pompejum sociatus, illius vocatu sponte Brundisium venit, ut de hoc bello consilia cum eo conferret, non discidia inter ipsos componeret, quorum etiam tum nulla apud scriptores mentio fit. Quare omnino non erat, cur „legati aversos soliti componere amicos" illo tempore et occasione intercederent, et cur talis legatio, quam nullus etiam scriptor memoravit, a Caesare ad Antonium mitteretur. Quare jam his quae attulimus, Wesselingii opinionem prorsus everti ac profligari videmus. 7.

Accedit haud levis momenti res, ad quam vir summus minime attendit, quamquam eadem Massonus jam usus est ad eos confutandos, qui ad pacis Brundisinae tempus hoc iter retulerunt. „Denique" (ut Mich. Seneschalli verbis apud Massonum p. 84. utar) „ex toto Satirae filo fit mani- 8.

„festum, totam illam regionem, qua in dictorum Legatorum comitatu iter habuit Horatius, fuisse „tum omnino pacatam et militibus vacuam; de quibus utique non siluisset, si quos per viam re„perisset.“ Atqui illo ipso tempore a. 716. u. c. quod ex Appiano l. c. patet, tota Italia armis, militibus, commeatibus, apparatu belli et terrestris et maritimi strepebat et imprimis circa Brundisium totus Gallicus exercitus cum classi Ravenna eo deducta erat congregatus. Sed apud Horatium pacifica omnia et ab rerum facie militari turbulentaque, qualis illo tempore, quod Wesselingius intelligit, illis in locis erat, prorsus diversa; in quam si cum comitibus suis Horatius incidisset, silentio praeterire non poterat, cum praesertim largior inde facetiarum materia sine dubio suppeteret.

9. Denique Wesselingius recte quidem contra Massonum ex ipsis Eclogae nostrae verbis non autumno, sed verno tempore illud iter esse factum probavit (quod praecipue patet e v. 14. „*Mali culices ranaeque palustres avertunt somnos*“): sed in eo erravit, quod Antonium illo quidem anno sub veris initia Brundisium venisse Appiani testimonio probari putat, quod nusquam exstat. Insequenti quidem anno 717. u. c. veris initio eum in Italiam venisse Appianus tradit c. 93. Sed illo eum anno tam mature Brundisium venisse parum verisimile est, quod antequam Antonium Caesar arcessivit, Sex. Pompejus bellum maritimum, id quod vere adulto demum fieri potuit, dudum redintegraverat.

10. His argumentis postquam satis probatum esse videtur, non in annum 716. et supra dictam occasionem iter illud Brundisinum Horatii posse conferri, restat ut ad a. 717. foederisque Tarentini tempus illud omnino convenire ostendamus. Caesar enim per aestatem superioris anni 716. ingentia damna in bello maritimo contra Sex. Pompejum perpessus, cum maximam classis partem simul cum multis copiis circa Scyllaeum promontorium tum procellis tum vi hostili perdidisset, in summis rerum suarum angustiis Maecenatem ad Antonium miserat, qui modo ortas inter utrumque controversias et simultates componeret, illumque si fieri posset, ad belli societatem pertraheret (Appian. V, 92.). Ineunte vere sequentis anni 717. (ἀρχομένου δ' ἦρος. Appian. V, 93.) Antonius Athenis cum trecentis navibus in Italiam venit, societatem quidem belli contra Pompejum gerendi praetendens, sed re vera magis speculandi causa quam agendi aderat, ut Dio refert L. XLVIII, 54. Nam uterque alterum suspectum habens causas criminandi quasdam fovebat. Plutarch. Anton. c. 35. „*Αὐτὸς δὲ πάλιν ἔκ τινων διαβολῶν παροξυνθεὶς πρὸς Καίσαρα, ναυσὶ τριακοσίαις ἔπλει πρὸς τὴν Ἰταλίαν.*“ Ceterum Antonius, Plutarcho teste l. c., Brundisium versus cursum direxit, ibique castra ponere decreverat; sed a Brundisinis non admissus Tarentum classem circumegit, ibique diutius commoratus est. Nam Caesar nonnullis rebus faustis quae interea ipsi evenerant, elatus, et Antonio imprimis propter opem superiore aestate in Pompejum non praestitam succensens, non ipse statim comparuit, sed per internuncios agens auxilium sibi oblatum primo tempore adeo detrectavit (Appian. l. c.) et frustra conditionibus ultro citroque perferendis et agitandis tempus terebatur, donec tandem Octavia ipsa, adjunctis sibi Maecenate atque Agrippa, ad Caesarem profecta est, quem obviam sibi venientem in itinere deprehendit et multis precibus, ut cum Antonio in colloquium veniret, permovit. Sed quamvis amice inter Tarentum et Metapontum se invicem excepissent, ne tum quidem criminationibus inter utrumque abstentum est. Dio XLVIII, 54. „*Πρὶν δὲ ἢ ἀποπλεῖν αὐτὸν* (sc. *τὸν Ἀντώνιον*) *ᾐτιάσαντο ἀλλήλους, πρότερον μὲν διὰ τῶν ἑταίρων, ἔπειτα δὲ καὶ δι' ἑαυτῶν.*“ Sed Octaviae tamen sedula intercessione effectum denique est, ut pace reconciliata Antonius Caesari naves, Caesar Antonio milites ad Parthicum bellum concederet. Prorogato sibi invicem in quinquennium triumviratu in diversa tandem abierunt.

11. Hic omnia egregie convenire videmus ad Maecenatis atque Cocceji legationem ad Antonium nobis probandam. Habemus primum alienatos inter se Antonii Caesarisque animos, habemus simultates et criminationes, quibus dissolvendis et diluendis fidorum opus erat amicorum interventu, Maecenatis imprimis et Cocceji, utrique eorum cari, cujus utriusque opera nuper in pace Brundisina fuerant usi; Maecenatis adeo paucos ante menses a Caesare ad Antonium legati, qui quidem „aversos soliti“ fuerant „componere amicos.“ Habemus deinde vernum tempus (*ἀρχομένου δ' ἦρος.*): habemus porro necessitatem legationis a Caesaris parte ad Antonium mittendae, quoniam ipse apparere noluit: habemus pacatum iter, Italia non armis et bellico apparatu, ut in superiore anno, turbata: nec difficile putamus, dubitationes et difficultates a Wesselingio objectas tollere et diluere, quod ut faciamus nobis reliquum est.

Primam et maximam dubitationem, quam ille ex eo movit, quod pax illa Tarenti coiit, non 12.
Brundisii, eoque causa non fuerit, quamobrem Maecenas, Coccejus Capitoque Brundisium pergerent, ex parte jam per ea quae attulimus solutam possumus censere. Nam cum Antonius Brundisium proficisci cum classe, Plutarcho teste, constituisset, quod propositum quo minus exsequeretur, modo a Brundisinis ipsum non recipientibus prohibitus est: procul dubio etiam Caesari, se eo venturum et quo tempore, per litteras significaverat. Quare is cum ipse pergere ad Antonium nollet, quid aliud facere poterat, quam ut viros aliquot primarios eo quo constitutum erat, justo tempore mitteret, ut pacis et foederis conditiones cum illo pertractarent? Quos cum a se dimisit, scire non poterat, Brundisini quid fecissent aut essent facturi: quippe quinto decimo demum die Brundisium legati pervenerunt; nec ipsi facile in itinere de mutato Antonii consilio poterant certiores fieri: poterant et ante Antonii adventum a Caesare missi esse. Verum est, fatemur, Horatium in Ecloga sua nullam hujus rei fecisse mentionem: nec Tarenti fecit: nec ipsius Antonii: sed tenendum etiam est, nil nisi profectionem Brundisium usque eum describere voluisse; nil ultra eorum quae post secuta sunt, adjecit. Quid magis consentaneum, quam ut legati illi cum Brundisii Antonium non deprehendissent, inde Tarentum unius diei itinere non longius remotum (Strabo. Lib. VI. p. 282, A.) profecti sint? Certe Maecenatem paullo post in Octaviae comitatu Tarento ad Caesarem proficiscentem offendimus.

Horatium quoque et Virgilium cum Maecenate Tarentum pervenisse ibique dum conditiones 13.
inter principes agerentur, diutius esse commoratos perquam credibile est. Hoc eum tempore cum littus saepe frequentaret, quo classis Antonii appnisa stationem tenebat, carmen illud de Archyta (I. Od. 28.) composuisse credo, quod in ipso loco factum quicunque illud legerit, facile sentit. Hoc eum tempore Septimium amicum in praedio suo prope Tarentum visitasse indeque suavissimam illius regionis descriptionem sumsisse quam in Lib. II. C. 6. exhibuit: *„Ille terrarum mihi praeter omnes angulus ridet!“* cui non omnino probabile videatur? Nam aliquanto post cum Romae degeret, a Septimio invitatus ut secum in praedio Tarentino aetatem transigeret, ita amico in dulcissimo illo Odario respondet, ut nec praedium Sabinum nec villam Tiburtinam jam tum eum habuisse (cf. Vanderburg. in Ed. Carminum T. I. p. 231. sq.) sed Tiburi tamen sedem ponere senectae cupiisse appareat. Quare equidem carmen illud anno insequenti 718. u. c. probabili ratione attribuo. Atque ipsum Virgilium Heynius (in Vita Virg.) hoc in itinere solum fertile Tarentinum ad Galaesum flumen cognosse indeque Episodium Georg IV, 125. duxisse, recte, ut videmus, judicavit: modo in anno constituendo graviter erravit; qui dum Wesselingii rationes sequitur, hunc aliam atque se ipsum aeram sequi non animadvertens, cum antiquos scriptores non ipse inspexisset, in annum 715. u. c. illud iter contulit, quod secundum aeram Varronianam quam ipse sequitur, anno 716. assignandum erat.

Reliqua leviora sunt quae Wesselingius attulit et facili negotio refelluntur. Nam quod ob- 14.
jecit, Octaviam in itinere Maecenati et Agrippae occurrisse, nec tamen ullam vel Octaviae vel Agrippae mentionem apud Horatium fieri, id quidem primum ex prava loci apud Plutarchum in Antonio c. 35. p. 931. D. interpretatione ductum. Qui cum dicit: *„ἡ δὲ ἀπαντήσασα καθ' ὁδὸν Καίσαρι, καὶ παραλαβοῦσα τῶν ἐκείνου φίλων Ἀγρίππαν καὶ Μαικήναν, ἐνετύγχανε“*: non Octaviam Agrippae et Maecenati in via occurrisse, sed illis sibi comitibus adjunctis sic Caesari in itinere esse obviam factam nos docet. Ejusdem erroris Fabricius not. 290. ad Dionem L. XLVIII. est accusandus. Ergo Maecenatem Tarenti affuisse videmus; nec Agrippa quod ibi fuerit, mirari licet, qui Consul ejus anni per omnes Italiae, praecipue Graeciae magnae, portus navibus exstruendis et bellico apparatui contra Sex. Pompejum intentus erat (Dio. XLVIII, 49.). Et fortasse ab ipso Caesare interea eo missus fuerat: nam varie, antequam ipse advenit, per internuncios agebatur. Nec Cocceji, apud utrumque, et Caesarem et Antonium, probatissimi, nec Fonteji Capitonis, Antonio amicissimi, partes his in actionibus exiguas fuisse crediderim, etiamsi non nominatim hoc tempore laudentur. Quod nec Octaviae nec Agrippae apud Horatium ulla mentio fit, minime mirum, qui nil nisi iter suum in Maecenatis comitatu Brundisium usque describere voluerit.

Quod denique pacem Octaviae interventu convenisse, ideoque Maecenatis et Cocceji nullas 15.
partes in hac pacificatione fuisse Wesselingius ait, id tum quidem alicujus momenti esset, si statim ab initio Octaviae totum conciliandi negotium fuisset ab utraque parte commissum. Quod minime factum esse, potius Octaviam tum denique intercessisse, cum amicorum studia ad simul-

tates inter utrumque tollendas adhibita parum proficere viderentur, ex iis quae Appianus retulit satis constat. Atqui Horatius pacem et foedus a Maecenate Cocceioque vere compositum nusquam, sed eos hoc munere assuetos a Caesare ad Antonium legatos esse modo dixit. Quare Octaviae pacificationem cum hac Maecenatis legatione nullo modo pugnare videmus.

16. Sic jam Wesselingii disputatione ab omni parte convicta et reprobata iter illud Brundisinum satis firmiter in vernum tempus anni 717. u. c. quo foedus Tarentinum inter Caesarem atque Antonium compositum est, a nobis esse constitutum arbitramur. Quod tempus etiam cum ipsa Horatii narratione de familiaritate cum Maecenate inita (II. Sat. 6, 40.) unice convenire videmus. Nam familiaris inter utrumque consuetudinis initium in primos anni superioris 716. u. c. menses minime posse referri, ex ratione a poëta ipso iniata in superioris Commentationis initio §. 2. demonstravimus. Unde nec iter illud in Maecenatis comitatu sub illud tempus eum facere potuisse satis apparet. Nihil ergo impedit, quominus itineris Brundisini descriptionem in Satira quinta exhibitam post Horatii reditum aestate illius anni 717. u. c., fortasse etiam cum Tarenti otiosus degeret, esse compositam statuamus.

17. Sed est, quod in ipso reditu bonum Horatium nostrum mente ac cogitatione paulinlum comitemur. A Tarento enim Romam recta via, secundum Strabonem L. VI. p. 283. A. per Venusiam ejus patriam ducebat. Hic eum aliquantisper commoratum pueritiae suae palaestras et diverticula, amoenas regiones circum sitas denuo visitasse, pristinos sodales hominesque sibi pridem notos adiisse, quidni verisimile esse, ut Horatii amabili ingenio maxime consentaneum, putemus? Adeoque hujus commorationis monumenta quaedam in ejus operibus probabili conjectura deprehendere nobis videmur; Carmen Lib. III, 13. **ad fontem Bandusiae** dico et Satiram Lib. II. alteram sub **Ofellii** nomine notam. Nam posteaquam docti Francogalli *Capmartin de Chaupy* (*Maison d'Horace*. Tom. III. p. 364. 518. 537.) cura et sollertia abunde probatum et a **Fea** V. Cl. ad III. Od. 4, 15. et 13, 1. antiquissimorum diplomatum fide firmiter constitutum est, Bandusiae fontem non in praedio Horatii Sabino, sed in Apulia prope ejus patriam Venusiam esse quaerendum hodieque extare: nec Romae illud Carmen factum nec in praedio Sabino quisque facile concedet. Quid enim Horatium virili aetate, Romae degentem, permovere potuerit, ut fontem Apuliae longe remotum, e prima modo pueritia sibi notum, carmine celebrandum sibi sumeret et lepidissimis versibus describeret, non facile quispiam dixerit, nisi forte ad Buttmanni rationem et hoc et alia ejus generis pro meris poëticis commentis, frigido ingenii lusu productis, nulla re et veritate subjecta, habere velit. Ergo poëtam in hoc itinere fontem a se nobilitatum praesentem inspexisse ejusque suavitate locique amoenitate non minus quam dulci pueritiae memoria commotum in ipso loco mellitissimum hoc Odarion composuisse cum ex luculenta fontis descriptione colligere licet, tum potissimum ex eo, quod sacrum ei in crastinum diem („*Cras donaberis hoedo*") pollicetur.

18. Hac occasione etiam **Ofellum** suum in agro prope Venusiam revisisse, quem olim puer fundi illius dominum noverat, tunc Triumvirorum proscriptione, qua ipse agellum suum paternum amiserat, colonum factum, sed pari qua pridem frugalitate, temperantia et strenua industria bene beateque cum suis viventem, ex iis quae ipse retulit in II. Sat. 2, 112. sqq. perquam verisimile fit.

Quo magis his credas: puer hunc ego parvus Ofellum
Integris opibus novi non latius usum
Quam nunc accisis. Videas metato in agello
Cum pecore et gnatis fortem mercede colonum,
„*Non ego,*" *narrantem: cett.*

Ita profecto scribere non poterat, nisi adfuisset et praesens „**metato in agello fortem mercede colonum**" ipse vidisset. Ex ejus igitur sermonibus praeclarae illius Eclogae **Ofelli** nomine inscriptae materiam desumsit, quam cum paullo post quam Romam redierat, recenti memoris in Sermonis illius summa urbanitate conditi formam pertexuisse ex ipso ejus exordio colligitur. Quare nostro jure hanc Eclogam autumno illius anni 717. u. c. compositam esse statuimus. Sic itineri illi Brundisino non unum sed plura egregia Musae Horatianae monumenta nos debere, hac disputatione probatum esse speramus.

Tabul

Anni.			Sat. I.
a u.c.	Hor.	Consules.	
712.	23.	L. Munatius Plancus. M. Aemilius Lepidus II.	
713.	24.	L. Antonius. P. Servilius [illegible]	[illegible]